


BIBLIOTHECA
SCRIPTORVM GRAECORVM ET ROMANORVM
TEVBNERIANA.

BACCHYLIDIS

CARMINA

CVM FRAGMENTIS

ITERVM EDIDIT

FRIDERICVS BLASS



LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
MCM

ɪIANA.

	M. ₰
iin.	—.60
. .	—.90
ıai.	1.—
. .	—.60
ces	1.50
. .	3.—
eil.	1.—
. .	—.45
er.	2.70
. .	—.60
ol. I	6.80
oll.	
45.	
III.	
.30	23.85
tes	1.50
der	2.—
oll.	6.—
tes	2.50
. .	3.60
oll.	2.70
no	
. .	—.60
. .	—.30
. .	1.20
. .	2.40
in.	4.50
. .	7.20
. .	1.—
II	8.10
II	2.70
III	11.20
III	9.60
er.	
.	6.—
. .	10.—
ior	6.—
.	10.—
ıll.	24.60
erg	10.—
ros	

oeconomica ed. *Susemihl* . . . 1.50
de plantis ed. *Apelt* . . . . . 3.—
πολιτ. Ἀθην. ed. *Blass*. Ed. III 1.80
parva naturalia ed. *Biehl* . . 1.80
iani expeditio Alex. ed. *Abicht* 1.20
scripta minora ed. *Eberhard* . 1.80
enaeus ed. *Kaibel*. 3 voll. . . 17.10
ustini de civ. dei ed. *Dombart*. Ed. II. 2 voll. . . . . 6.—
confessionum ll. XIII ed. *Knöll* 2.70
onius ed. *Peiper* 6.60
rius ed. *Schneidewin* . . . . . —.60
ed. *Crusius*. Ed. maior . . . 8.40
—— Ed. minor . . . . 4.—
chylidis carmina ed. *Blass*. Ed. II 2.40
edicti regula ed. *Woelfflin*. . . 1.60
tius de inst. arithm. ...
de consolatione e...
comm. in libr. Ar...
ἑρμηνείας rec. *Mei*...
olici Graeci ed. *A*...
sar ed. *Dinter*. E...
—— bell. Gall. ...
—— bell. civile. ...
ed. *Kübler*. bell. G...
—— —— Ed. mai...

priores elementorum Euclidis commentarii. Ex interpretatione Gherardi Cremonensis in codice Cracoviensi 569 servata. Ed. *M. Curtze* . . . . 6.—
Eudocia, Procl., Claud. ed. *Ludwich* 4.—
Euripides ed. *Nauck*. 3 voll. Ed. III 5.70
Singulae tragoediae —.30
Eusebius ed. *Dindorf*. 4 voll. . . 15.—
Eutropius ed. *Ruehl* . . . . —.45
Fabulae Aesopicae ed. *Halm* . . . —.90
—— Roman. ed. *Eberhard*. Vol. I 3.75
Firmicus Mat. edd. *Kroll, Skutsch*. I 4.—
Florileg. Graec. Sing. fascc. (10) —.40
Florus ed. *Rossbach* 2.80
—— ed. *Halm*. **Ampelius** ed. *Woelfflin* 1.—
Frontini strategem. ed. *Gundermann* 1.50
... **Planciadis,** opera rec.
... . 4.—
...*chke*. Ed. V 2.70
... minora. 3 voll. . . 7.50
...gica ed. *Kalbfleisch* . 1.20
... attenuante liber ed.
... . 1.40
...*Hertz*. 2 voll. Ed. II 4.20
... astronom. ed. *Manitius* 8.—

U.C. 1908 Robert P. Blake

BACCHYLIDIS CARMINA

CVM FRAGMENTIS

ITERVM EDIDIT

FRIDERICVS BLASS.



LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI

MDCCCXCIX



LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

PRAEFATIO.

I.

Post Hyperidis orationes, Aristotelis Rempublicam Atheniensium, Herondae mimiambos iam quartum donum insperatum Bacchylidis carmina nobis Aegyptus misit. Resurgunt litterae vetustae; *ζῶσιν οἱ γᾶς ὕπαι κείμενοι*, atque utinam etiam alii, qui nunc nondum videntur! Sed omnia iam spe concipere audemus, et ut amicum quendam memini dicere, divinandi facultatem vel ob eam rem sibi aliquis exoptet, ut possit praevidere, quantopere mutatum post quinquaginta annos qui tum vivent habituri sint Graecarum litterarum ambitum. Verum nihil proficimus optando, oportet deorum muneribus uti, *ὅττι διδοῖεν*, modo ne *σιγῇ*, ut est apud Homerum; recte enim Bacchylides: *πράξαντι δ' εὖ οὐ φέρει κόσμον σιωπά*. Celebremus igitur *χάριν Κηΐας ἀηδόνος*, quae post mille quingentorum annorum silentium iam denuo canit, neve obliviscamur eorum per quos his beneficiis fruimur, inter quos principem locum non sine magnis laboribus tenet Fridericus Kenyon, et Aristotelis Politiae et Herondae et nunc Bacchylidis princeps editor.

Volumen sive volumina chartacea quibus haec carmina continentur extremo anno 1896 ex Aegypti aliquo loco accepit Museum Britannicum, condicione quam maxime potest lacera, sed alioquin in universum egregia: facillime enim hae laciniae legebantur. Editor autem postquam in eis componendis atque in ordinem redigendis diu multumque desudavit, ex ducentis fragmentis quattuor magnas partes effecit, relictis praeter eas non plus LXXI fru-

stulis; tot enim in ectypi pulcherrimi quod a Musei curatoribus una editum est tabulis duabus ultimis conspiciuntur. Accesserunt autem tria alia fragmenta, quorum duo Bernardus Grenfell ex Aegypto attulit, unum diversae originis fragmentis chartaceis antea adhaeserat; haec tria non sunt in ectypo. Eodem fere tempore accidit ut ipse Londinium venirem et insigni eorum qui Museo praesunt liberalitate copiam chartae inspectandae et examinandae nanciscerer; unde coniuncta utriusque opera, et Kenyonis et mea, effectum est ut iam in editione principe non plus XL essent fragmenta, ceteris aut loco suo repositis aut cum aliis coniunctis, partes autem magnae separatae inter se non iam quattuor, sed tres tantum exstarent. Mox in mea editione priore etiam multo minor fuit fragmentorum numerus; persuasum enim erat non minus mihi quam Britanno editori, plerumque parum fidei esse supplementis e coniectura quamvis docta profectis, sed summa vi esse enitendum ut quam plurima testata haberemus, neque tempori parcendum, quo diuturno ad tot fragmenta tam exilia in locos suos restituenda opus esse usu cognitum est. Eisdem in rationibus persistens, cum vere huius anni iterum facultatem Londinium adeundi nactus essem, ibi et cum Kenyone, donec adfuit, et postea solus quod reliquum erat fragmentorum et examinavi diligentius et eorum colorem habitumque cum singularum chartae paginarum contuli, dum unicuique eorum etsi non semper locum definitum, tamen paginam suam restituisse mihi visus sum. Itaque in hac altera editione iam nihil in carminum calce chartae fragmentorum comparet.

Sunt igitur, ut dixi, nunc quidem tres partes magnae, quarum prima paginas XXIV complectitur, secunda VII, tertia X. Prima confecta est e duabus quae antea fuerant; ordinem earum verum ab initio editor perspexerat. Neque vero dubitandum quin secunda primam subsecuta sit, etsi quantum inter eas desit definiri nequit. Sed tertiae partis nexusne fuerit cum prioribus an non fuerit, est profecto quaerendum. Res haec est. Carmina quae duabus

prioribus continentur omnia sunt epinicia, quorum unum volumen antiquitus fuisse, non plura ut apud Pindarum Simonidemque, perquam probabile est. Veteres enim scriptores, ubi ex his carminibus afferunt, simplici formula utuntur *Βακχυλίδου Ἐπινίκων*; contra legimus *ἐν Ἰσθμιονίκαις Πινδάρου*, *Σιμωνίδης ἐν Πεντάθλοις*. In Pindaro praecipuam differentiam faciebat locus ludorum, in Simonide genus; at in his carminibus nunc recuperatis neque loci neque generis ad ordinem constituendum ulla ratio habetur. Sed acute et sollerter Britannus editor monstravit et primum carmen quod nunc est cum ratione quadam primum locum tenere, patriae enim insulae Cei poeta antiquitates eo carmine diligenter persecutus est, et ultimum quod nunc est non immerito in eum locum esse detrusum; solum enim victoriam celebrat non sacris ludis qui vocabantur partam, sed Petraeis Thessalicis adhuc plane ignotis. Fuerint igitur non plus XIII carmina[1]), vel si in lacuna quam dixi totum carmen intercidit, fortasse quattuordecim, qui est numerus Olympicorum Pindari. E fragmentis autem, quae ex epiniciis Bacchylidis nominatim afferuntur, duo in charta reperta sunt, unum restat hoc: *ὡς δ' ἅπαξ εἰπεῖν, φρένα καὶ πυκινὰν κέρδος ἀνθρώπων βιᾶται*, quod respuitur numeris horum carminum, quatenus eos cognitos habemus, sed potuit locum habere in c. XI aliqua epodo, quippe quarum numeri ignorentur. Non igitur est cur plura Bacchylidis epinicia Alexandrina aetate exstitisse putemus. Haec autem XIII vel XIV commode continebantur uno volumine, versuum fere mille ducentorum; tot enim fuisse computantur, si undecimo tertioque decimo sexaginta fere addideris. Pindari libri tres priores — quartus enim extrema parte truncatus est — usque ad millenos sescenos plus minus extenduntur; sed etiam mille ducentos uni volumini satis superque fuisse

---

1) Numeri mei inde a c. VIII. a Kenyonis differunt; nempe fragmenta carminum quae apud illum VII. et VIII. numerantur in unum carmen contraxi.

e Birtii libro notissimo facile cognosces. Iam videamus tertiam Bacchylidis partem, in qua insunt carmina sex, versuum ut videtur minus quadringentorum. Singula in morem tragoediarum nomina mythica habent: *Ἀντηνορίδαι ἢ Ἑλένης ἀπαίτησις*, (*Ἡρακλῆς*), *Ἠίθεοι ἢ Θησεύς*, *Θησεύς*, *Ἰώ*, *Ἴδας*. Patet primo obtutu e litterarum ordine esse collocata, partemque collectionis quae nobis servata est a littera *A* vel *E* usque ad *I* pertinere, mutilam esse quod attinet extremum, fortasse etiam quod principium. Quod autem genus sit carminum, docet Servius, qui ex carmine XVI. locum afferens sic ait: Bacchylides in *dithyrambis*. Pauca ex eo genere praeterea afferuntur, possumus autem Servii alterum quoque locum, ubi eadem formula utitur, ad verba quaedam referre quae Pindari scholiasta ex Bacchylide servavit, non definito carminis genere, quaeque in chartae nostrae fragmentulo nunc leguntur. Septimus is erit dithyrambus, expressus, ut equidem putaverim, ab Horatio in l. I c. 15, quod ad Bacchylidis imitationem factum esse testatur Porphyrio. Horatius Nereum de Troiani belli cladibus ad Paridem vaticinantem inducit; apud Graecum poëtam Porphyrione teste vaticinabatur Cassandra; fuerit igitur id carmen *Κασσάνδρα* inscriptum, et cum *K* littera proxima sit post *I*, proximum post Idam locum habuerit. Porro Pindari scholiasta in dithyrambo Bacchylidis de Philocteta narratum esse dicit: itaque alius fuit dithyrambus *Φιλοκτήτης*, et alius *Λαοκόων* secundum Servium, etsi eo loco 'in dithyrambis' illud non est additum; rursusque alius fortasse *Εὐρώπη* inscriptus, cum Europae quoque fabulam acceperimus a Bacchylide alicubi pertractatam esse (v. frg. 10 huius edit.). Quamquam hoc magis dubium videri debet, si quidem carminis quod primum habet charta nostra prior inscriptio ab *A* littera incipit, etsi altera ab *E* sicut *Εὐρώπη*. Videmus certe praeter sex haec carmina alia consimilia complura fuisse, facileque adducimur ut coniciamus dithyrambos quoque circiter XIV fuisse et mille fere versuum numerum explesse, id est iusti voluminis mensuram. Itaque non unius voluminis has particulas nunc

recuperavimus, sed duorum. Haec praeterea genera Bacchylidis carminum commemorantur: *Ὕμνοι*, *Παιᾶνες*, *Προσόδια*, *Ὑπορχήματα*, *Ἐρωτικά*. At numerum librorum nemo indicat, incertaque coniectura, numeratis scilicet his nominibus, ad septenarium numerum pervenimus. Quamquam totum librum *ἐρωτικῶν* fuisse aegre mihi persuadeo, magisque putaverim ea cum hyporchematis, quae et ipsa hilarioris fuerunt argumenti, uno volumine fuisse comprehensa. Sed ne id quidem constat, omnia quotquot fuerunt carminum genera alicubi commemorata esse. Septem autem libros si ponimus, versuumque numerum ad septem milia, ex quibus mille ducenti nunc recuperati sunt, ratio est eius numeri ad septem milium summam fere eadem, quam videmus eorum fragmentorum Bergkii, quae iam suo loco inventa sunt, ad omnium fragmentorum summam. Numero enim vel sexaginta novem vel sexaginta septem, e quibus comparuerunt duodecim.

Ad librum nostrum revertamur; licebit enim singulari numero uti, quamvis duo volumina fuerint. Elegantissime et luculentissime scriptus est ab una manu, litteris magnis, latis paginis, in quibus singulis triceni quini quaternive versus esse solent, sed nunquam minus sunt XXXII, neque plus XXXVI. Aetas esse videtur editori Britanno extrema Ptolemaica, circa annum L a. Chr.: quod iudicium nititur maxime Ξ litterae forma, ex duobus ductibus transversis punctoque medio constante. Contra dixerunt Bernardus Grenfell et Arthurius Hunt, eundem ductum easdemque formas etiam in Romanae aetatis quibusdam fragmentis comparere affirmantes, quae Oxyrhynchi ipsi effossa ediderunt; videri igitur Bacchylidis quoque chartam vel primo vel alteri post Chr. n. saeculo assignandam esse[1]). Neque tamen ideo Kenyon sententiam suam mutavit, sed et similitudinem eam esse negat quae eidem cogat aetati tribuere, et ipsa quibus illi nituntur frag-

---

1) Grenfell-Hunt Oxyrhynchus Papyri I p. 53 adn.

menta non tam recentia esse putat quam putant editores[1]. Num igitur ab orthographia aliquid adiumenti vel huic vel illi sententiae accedit? Non solent confundi inter se *I* et *EI*, nisi ubi grammatici ipsi perperam decreverunt[2]: *μιχθεῖσα*, *οἰκτείροντα*; in inscriptionibus carminum a correctoribus profectis etiam *Τισίᾱι* et *Φλιασίωι* (at *Φλειοῦντα* in carmine ipso). Praeterea[3]) *Φερένεικος* est V, 184 (-*νικον* 37), *Ποσῑδάν* IX, 19; XIII, 20; XVI, 36; XIX, 8 (-*ει*- XVI, 59. 79), *ἐκείνησεν* IX, 10, *Αἰγείνας* XI, 6, *ὠρείνατο* XII, 112, *δεινῆντο* (pr. m.) XVI, 107 (sed *δίνασεν* ibd. 18), *νειν* pro *νὶν* ibd. 91, *ἐριψιπύλαν* a corr. V, 56, *ἤριπον* X, 68 (*ἐρειψι*- XII, 67), *στίχειν* XVII, 36, *Πιειρίδες* XVIII, 3. 35, *θεῖνα* XII, 149, hoc quidem ex Aristarchi doctrina, qui *θείς* ab *θείνω* derivabat ut *ῥείς* ab *ῥέω*. Iam quaeso compares Herondae chartam, ubi pro omni *ει* non minus saepe *ι* quam *ει* scribitur (etsi raro *ει* pro vero *ι*); videbis interesse aliquantum temporis inter utramque chartam, sive quo grammatici Atticam scribendi rationem restituere coeperunt sive quo confusio etiam magis invaluit. Atque hoc teneo, Herondae chartam ob has ipsas rationes vix esse posse Tiberii fere vel Gai Claudiive aetate recentiorem: a quo iudicio iam non valde dissentit princeps editor, primo post Chr. n. saeculo vel alterius parti priori chartam assignans, quam ab initio vel in alterum vel in tertium reiecerat. Id igitur quaeritur, utrum aliquanto post Bacchylidis charta scripta sit an aliquanto prius; orthographicae enim utroque modo rationes constabunt. Quod ad iota adscriptum attinet, id ab Herondae scriba recte plerumque vel ponitur vel omittitur; similiter res se habet in Bacchylide, et ubi primo omissum erat a correctore suppletum esse solet (etiam in *κυανόπρωιρα* XVI, 1); sed nesciebant hi homines etiam in

---

1) Kenyon Palaeography of Greek Papyri (1899) p. 76 sq.
2) Huius rei me admonuit adulescens studiosissimus, qui plurimarum chartarum scribendi rationes examinavit, W. Crönert.
3) Cf. Ludwich Ind. lect. Regiom. 1898 p. 42.

θυάισκω (XIII, 166) et θρώισκω (XIII, 90) eam litteram addendam esse, ut recte docuit Herodianus. Falso additum neque deletum est in ἑίηι IX, 12. Itaque num sic scribi potuit circa a. L ante Chr. n.? Aio profecto. Num circa finem primi post Chr. n. saeculi? Ne id quidem negari potest. Videtur παράδοσις prava de quibusdam vocibus (ut οἰκτείρω, θνήσκω) inde ab Aristarchi temporibus diu continuasse, quam ex parte, sed non in omnibus, correxit Herodianus. Neque omnino habeo cur non in Kenyonis de chartae Bacchylideae aetate sententia acquiescam, donec certiora doceamur. Itaque reliqua de hoc volumine explicare pergo.

Peccata inter scribendum admissa multa ipse qui scripsit sustulit; sed praeterea manus correctrices discernuntur fortasse duae, certe una, quarum correctionibus ex collatione cum altero libro profectis in universum non est cur vehementer diffidamus. Sunt ab eisdem interdum etiam toti versus, quos librarius omiserat, in margine vel superiore vel inferiore suppleti. Sed videntur illi potius hic illic emendasse quae offendissent, quam dedita opera totum librum pertractasse. Inscriptiones enim carminum non sunt omnes eadem manu additae, quod erat certe correctoris diligentis, quinto autem carmini omnino nemo inscriptionem suam adiecit.

Spiritus accentusque iam prima manus multos appinxit, tum alios aliae, ut sit quaedam eorum frequentia, etsi minime omnia vocabula eis instructa sunt. Scimus in poetis, qui dialecto non Attica scripsissent, iam Alexandrina aetate id factitatum esse: quamquam in Bacchylide, cuius dialectus non nimis longe a communi recedebat, non erat tantum accentibus spiritibusque opus quantum in Alcmane vel Sapphone. Antiquior ratio in eo cernitur, quod oxytona nunquam in ultima syllaba vel acutum vel gravem accipiunt, sed in prioribus accentu gravi notantur, ut interdum etiam circumflexa: πὰνθὰλης, βλὴχρας (genit.) οβριμὸδὲρκει (τε]λεὺτᾶθεῖσα, ἐνὰλὶναιέτὰι). Is autem mos minime ineptus — nempe ab initio admonebantur legentes,

ne perperam priori alicui syllabae sonum acutum tribuerent — non nunc primum comparet, sed pridem ex Iliadis charta Bankesiana Parisinisque Homeri fragmentis cognitus est.[1]) Reliquae quoque notae, quae *δέκα προσωιδίαις* adnumerantur, frequentes pleraeque exstant: *ᾰι αι*, *ᾱι ᾳ*, tum apostrophus et in compositis *ὑφέν*, ut *φοινικονώτων* V, 102; etiam *διαστολή* in *ἐδεισε,νηρεος* XVI, 101, scilicet ne priori voci *ν* adiungeretur. Interpunctum autem est non sine diligentia, puncto scilicet simplici in summo versu vel supra versum posito.[2])

Iam quod ad fidem libri quae videatur attinet, possumus diligentiam aliquam agnoscere, non tamen ut peccata omnia sive vitata putemus — id quod correcturis multis ab alia demum manu illatis refutatur —, sive omnia corrigendo sublata. Ipsum archetypum unde descriptum est hic illic etiam lacunis infectum fuisse cognoscitur. Traditum neque suppletum est XVII, 48 *ξίφος ἔχειν* pro versu huius mensurae: ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – –, ut desint sex syllabae; praeterea eiusdem carminis v. 16 (qui est paginae ultimus) ab alia manu scriptus est, eadem quidem quae X, 23 *σὺν ἅματι πρὸς γαίᾱι πεσόντα* addidit, cum prima manus nihil ibi praeter tres primas syllabas scripsisset. Corruptelarum autem quas prima manus admiserat haec sint specimina: XVII, 2 *τῶν ἁβροβικων* (*ἁβροβίων* corr.) *ἄναξ ιερωνων* (*Ἰώνων* corr.). XIV, 54 *δικαληθηαν* (*δίκαν ἰθεῖαν* corr.), et *ἀκόλουθον* omissum v. 55. XII, 84 *κατισυφαυχας* pro *καί τις ὑψαυχὴς* (*φ* ne correctum quidem est). VIII, 12 *αθλησανπαρμεμορωισυν* pro *ἄθλησαν ἐπ' Ἀρχεμόρωι*,

1) Cf. quae scripsi in „Handbuch d. klass. Alterthumswissenschaft" I², 308. Sunt autem accentus non doricae dialecti, sed communis linguae, quales in Pindaro quoque ponere solemus. Valde mirum est *ἐπεῖ* III, 23; praeterea notabilia *παντᾶι* i. e. *πάντᾳ* V, 31; VIII, 48; XIV, 44 (it. *πάνται* Aesch. Suppl. 87 Med.; ap. Pind. *παντᾶ* cum v. l. *πάντᾳ*), *διχομηνίδος* VIII, 29, *παράπληγι* X, 45 (falso; v. Hdn. I, 46, 5); nam *π[ο]λεμαίγιδος* XVI, 7 et *φοίβαν* i. e. *φοιβὰν* XII, 139 nullus dubito quin unice vera sint. 2) In imo versu punctum positum XIV, 47 (K. p. XXI), VIII, 83.

τὸν (corr.). Apparet igitur eum qui librum scripsit depingendis tantum litteris fuisse intentum, sententiam autem poëtae non curasse, multoque minus numeros. Sed horum quidem etiam ei qui correxerunt nullam fere rationem habuisse videntur; multa enim reliquerunt, quae facillime emendare possent, ut V, 31 μοι pro ἐμοί, 49 φιλοξένωι pro -ξείνωι, 53 ἀφνειὸν pro ἀφνεὸν bisyllabo, 78 προσέειπεν pro προσεῖπεν, ut miremur 113 συννεχέως pro συνεχέως repositum in numerorum gratiam. Sed fuit haec varia lectio ex alio libro adscripta, cuius lectionis si auctor aliquis grammaticus fuit, non ideo putandi sunt hi nostri libri correctores eadem grammatica doctrina fuisse imbuti. Immo et correxerunt ea quorum loco aliam lectionem in libro collato invenirent, neque attigerunt quae ibi quoque eadem essent. Sunt autem quae ea ratione etiam falsa intulerint. V, 179 Ὀλύμπιον ἀρχαγὸν θεῶν recte et cum numeris convenienter m. pr.; Ὀλυμπίων corrector contra numeros. Ibd. 70 Πορθανίδα recte m. pr., perperam -αονίδα corrector. XII, 152 ἔρευθε φώτων αἵματι γαῖα m. pr., recte quoad numeros, sed insolenti activi usu; itaque ἐρεύθετο corrector. Dixeris hunc quidem ex coniectura interpolasse, neque nego auctorem primum lectionis ἐρεύθετο eo crimine urgeri, sed in libro a correctoribus collato nihil obstat quominus eam infuisse putemus; item νῦν a correctore adscriptum in III, 47 τὰ πρόσθεν δ' ἐχθρὰ νῦν φίλα· θανεῖν γλύκιστον. Ex quo quidem versu vel maxime omnium apparet summa incuria vel etiam inscitia numerorum quae in his hominibus fuit. Debebat corrector delere ν vocis πρόσθεν, quod non fecit, interpretamentoque insuper addito multo etiam magis versum deformavit. Levior est quaestio de Ἀφάρητα V, 129: αφαρηατα ibi primo scriptum fuit, corrector autem tertium Α sustulit. Putaverim duplicem antiquitus fuisse lectionem: αφαρη.α. (superscript ·τα·), ortumque -ηατα utraque coniuncta; memorabile autem est nusquam in hoc libro tales duplices lectiones punctis notatas esse traditas, quales et

in *Πολιτείας* charta habemus et in Thucydidis fragmento nuper a duumviris Oxoniensibus ex Oxyrhynchi ruderibus protracto et in ipso Mediceo Aeschyli Sophoclisque.[1])

Non sunt haec quaeque his addere possis[2]) valde multa neque nimis gravia, neque putaverim ullo tempore Bacchylidis carmina magnopere corrupta esse, etsi dithyrambi, atque ex eis maxime c. XVI, paullo maiore labe deformata esse videntur quam epinicia. Vitia numerorum quae insunt pleraque (si exceperis c. XVI) facillima ratione tolluntur; raro ex transpositione aliqua medela petenda est, ut egregie XIV, 47 Purser *λόγων ἄρχεν* reposuit pro *ἄρχεν λόγων*. Neque vero omnia tollenda esse puto, quae cum reliquis strophis non ad amussim conveniant, qua de re in alia huius praefationis parte disseram. Hic autem libet de duobus V. carminis locis dicere, ubi suspicio est a grammaticis, ut numerorum congruentiam efficerent, quaedam in peius mutata esse. Versus sunt strophae primae undecimus duodecimusque: (*ἀπὸ ζαθέας*) *νάσου ξένος ὑμετέραν πέμ|πει κλεεννὰν ἐς πόλιν*, item decimus quartus quintusque: (*κλει*)*νὸς θεράπων, ἐθέλει δὲ* | *γᾶρυν ἐκ στηθέων χέων* | (*αἰνεῖν Ἱέρωνα*). Nihil est in verbis ibi suspecti; sed ultima priorum versuum syllaba deest in reliquis strophis omnibus praeter antistropham primam. Ibi autem haec leguntur: (26 sq.) *δυσπαίπαλα κύματα· νωμᾶται δ' ἐν ἀτρύτωι χάει* | (*λεπτότριχα . . ἔθειραν*), et (29 sq.): (*πνο*)*αῖσιν ἔθειραν ἀρίγνωτος μετ' ἀνθρώποις ἰδεῖν*. Sed pro media forma *νωμᾶται* utique activa postulatur, quam reponi iubent R. J. Walker, Arth. Ludwich, Arth. Platt, neque possumus non cum H. Weilio pro corrupto habere quod de aquila dicitur „conspicua *inter* homines". Quid igitur si non mutemus *μετ'* in *μέγ'*, neque vero *ἀνθρώποις* in *οἰωνοῖς* (quae sunt medelae a Weilio

---

1) V. Arist. *Πολ.* ed. Blass. p. VIII^{3} sqq.; Grenfell-Hunt Oxyrhynchus Papyri I p. 39 sqq. 2) Falso correctum est etiam IX, 23. X, 28. XII, 53. 156. XVI, 89. XVII, 3. 53. Scholion esse XV, 34 *ποταμῶι* iuxta *Λυκόρμᾱι* viderunt Ludwich et v. Wilamowitz; corrumpit numeros dactylicos.

dubitanter propositae), sed simpliciter (id quod Walker faciendum censuit) deleamus *μετ'*, ut illatum ab eo qui numeros strophae antistrophaeque exaequare cuperet? Eidem igitur etiam *νωμᾶται* pro *νωμᾶι* repositum tribuemus, neque nos morabitur quod medium iam scholiasta Hesiodi legit, qui eum versum affert. Accedit autem simile quoddam ex carmine octavo, ubi in epodi primae principio haec est varia lectio: *δὴ τότ' Ἄδραστον* pr., *ἃ καὶ τότ' Ἄδρ.* corr. Altera epodus habet *σῶν ὦ πολυζήλωτε*, quod in mensuram quam habet *δὴ τότ'* facile redigas deleta particula *ὦ*; tertia epodus nimis male habita est, quam ut quicquam statuere liceat; quartae versus a *τιμίοι* incepisse videtur, quod num correctum fuerit incertum est. Exaequandi igitur studium hic quoque comparet, neque vero video cur in ep. *α'* *ἃ καὶ τότ'* praestantius putem quam *δὴ τότ'*, neque cur putem hoc casui deberi (cf. V, 156. Pind. Ol. III, 25).

Accentuum autem punctorumque a librario correctoribusve positorum nullam fere esse auctoritatem per se patet, maximusque eorum usus ex eo nunc provenit, quod integra illi legebant quae nos saepe mutila. Recte igitur quaeritur, num in c. I v. 180 servanda sit haec interpunctio a grammatico sine dubio docto et intellegenti profecta: *ὅσσον ἂν ζώηι χρόνον, τόνδ' ἔλαχεν· τί μάν;* id est „quid enim aliud (praeterea)?" Sed etiam *τιμάν* bonum sensum reddit: „hunc sortitus est honorem sibi tributum", et accedit quod ea lectione recepta evanescit arsis correpta, quae praeter duas alias sola erat in hoc carmine. Nempe etiam illarum altera probabili rationi tolli potest. Legitur v. 143 sq. de leone: *οποτε* | *χρεῖ* . . . . *βολοῖ μαχας*, ubi satis certa ratione mihi restituisse videor et *χρεῖος* . . *μάχας* et *κερβολοῖ*. *Κερβολεῖν* idem est atque *κερτομεῖν*; est autem offensioni (non in eis quae supplevi, sed in ipsis traditis syllabis) praeter correptam arsin etiam *-έοι* quod expectabatur in *-οῖ* contractum. Iam cum eiusdem verbi alteram quoque formam habeamus *σκερβόλλειν* (Aristoph. Eq. 821, a (*σ*)*κερβόλος* nimirum et ipsam

derivatam), facile est κεϱβόλλοι forma restituta utramque simul offensionem tollere.

Reliquum est ut notas ad carminum, systematum, stropharum divisionem significandam adhibitas indicem. Tradit Hephaestio in libelli περὶ ποιήματος capite X., post strophas antistrophasque poni paragraphum, post epodos, id est post integrum systema, coronidem et paragraphum, in fine autem totius carminis ex systematis compositi asteriscum. Eadem plane in scholiis Pindaricis leguntur. In libro autem nostro ratio quidem eadem agnoscitur, sed neglegenter adhibita. Paragraphus saepius deest quam est posita, coronidis autem nota cum paragraphi coniuncta plerumque in hanc formam simplicem redacta est: ⊃—, etsi interdum appicti alii quoque ductus supra infraque pertinentes, quibus aliquanto magis reminiscimur formae ab Hephaestione inque scholiis traditae: ⊐ vel Ʒ. Eadem nota vel simplex vel aucta in extremis quoque plerisque carminibus appicta est; sed iuxta simplicem bis, post carmina VI et VII, asteriscus quoque comparet. Ex quibus VI. monostrophicum est, cui generi Hephaestio, obtemperantibus scholiis Pindaricis, asteriscum denegat, coronide contentum esse iubet.

II.

Postquam exposui de libro ipso potissima, sequitur ut de poetae rebus et ingenio, de carminum indole, sermonis forma, tum de numeris, denique de singulorum carminum argumentis disseram.

Pauca de Bacchylidis rebus ex his epiniciis dithyrambisque discimus. Quorum tempora quae definiri possunt, brevi spatio quod bellum Persicum prope insecutum est includuntur, nisi quod VI. et VII. nuperrime miro casu didicimus anno 452 tribuenda esse. Ex ceteris autem carmen XII. non credo ante Salaminiam pugnam scriptum esse, sed eisdem fere temporibus quibus V. Hoc annum habet 476, IV. 470, III. 468, videmusque poetam primum illud Cei scripsisse, sicut fortasse etiam sextum septi-

mumque in Cei victoris honorem composita; quamquam hoc si statuitur, vix locus relinquitur memoriae apud Plutarchum proditae, ex qua exul Bacchylides in Peloponneso degens pleraque scripsit.[1]) Carmina autem IV. et III. Syracusis (ut puto) apud Hieronem composuit, cuius hospitio iam ante annum 476 auctus erat. *Ξένον* enim Hieronis se appellat V, 11: itaque fuerat aliquando in Sicilia, fortasse una cum avunculo Simonide, eratque a rege benigne exceptus, unde is Olympicam suam victoriam praeter Pindarum etiam a Bacchylide celebrari voluit. De simultate autem, quam inter utrumque poetam fuisse Pindari scholiastae ferunt, id discere videmur, nullam eam fuisse neque Pindaricos locos quibus nituntur illi de Bacchylide esse intellegendos. Docte et subtiliter de his rebus disseruit post inventa haec carmina, sed antequam cognita haberet, homo Italus L. A. Michelangeli[2]), periculo videlicet facto, utrum uno mense post retractanda sibi forent quae scripsisset an stare possent, optimeque illi ea audacia cessit. Nihil enim est in his carminibus quo Pindarus carpi videri possit, quem ut equidem putaverim Ceus poeta et summopere admiratus et quadamtenus imitatus est, non tamen ut aemulus existeret. Ceam lusciniam se ipse appellat extremo carmine tertio; itaque aquilae comparatio qua quintum ornavit non eo tendit ut se ei avi assimulet, id quod merito Pindaro relinquit, sed ampla materies carminis cum immenso aëris spatio in quo volat aquila comparatur. Postquam enim (v. 14 sqq.) consilium suum Hieronem laudandi declaravit, ita pergit: *βαθὺν δ' αἰθέρα ξουθαῖσι τάμνων ὑψοῦ πτερύγεσσι ταχείαις αἰετὸς .. θαρσεῖ κρατερᾶι πίσυνος ἰσχύϊ* e. q. s., com-

---

1) Plut. de exilio 605 C: *τοῖς παλαιοῖς αἱ Μοῦσαι τὰ κάλλιστα τῶν συνταγμάτων καὶ δοκιμώτατα φυγὴν λαβοῦσαι συνεργὸν ἐπετέλεσαν. Θουκυδίδης — συνέγραψε — ἐν Θράικηι — — — B. ὁ ποιητὴς ἐν Πελοποννήσωι.* Disputavit contra N. Festa (edit. suae p. XXX sqq.). 2) Della vita di B., Messina 1897; idem alteram commentationem postmodo edidit: Dopo il B. pubblicato, ibd. 1898.

memorans scilicet etiam summum robur regiae avis ceterarumque avium canorarum metum, sed ita ut principalis res semper maneat itineris infinita licentia; itaque absoluta splendidissima comparatione his verbis ad suum argumentum venit: *οὕτω καὶ ἐμοὶ μυρία πάντᾳ κέλευθος ὑμετέραν ἀρετὰν ὑμνεῖν*, nempe propter multas Hieronis laudes, non propter suam facultatem. Non igitur se aquilam inter poetas dicit, quod satis aperte facit Pindarus compluribus locis; ridiculum enim sit, si quis sub *ὀρνίθων λιγυφθόγγων* appellatione cum aliis poetis Thebanum latere putet. Qui si quo huius carminis loco tecte respicitur, videtur respici (id quod iam Britannus editor observavit) ubi Hesiodi quandam sententiam Bacchylides laudat, *Βοιωτὸν ἄνδρα* eum dicens et *πρόπολον Μουσᾶν* (191 sq.). Itaque quod ad Pindarum attinet, plane Horatii admonet Ceus poeta; Horatii enim sunt illa nota: Pindarum quisquis studet aemulari e. q. s., atque in eodem carmine: ego apis Matinae more modoque grata carpentis thyma e. q. s.; nam sic Bacchylides quoque de se: *νασιῶτιν λιγύφθογγον μέλισσαν* (IX, 10), ut ab illo hoc quoque cum multis aliis Horatius sumpsisse videatur.

Nihil igitur opus est Pindari comparatione minorem poetam, sed tamen poetam, urgere atque deprimere velle. Statum enim inferiorem, quem ipse sibi sumpsit, non sine laude tuetur, neque indignus est qui se quoque Musarum *προφήτην* appellet (VIII, 3). Quippe sedulo cavet ne in collaudando vel Hierone vel alio quocunque immodicus sit et effusus, sed sacri ministerii sui memor et laudem dumtaxat veram tribuit neque reticet a Musa sua sibi imperata. Imperaverat autem ut moneret Hieronem, ne hominem se esse oblivisceretur, quod facit Bacchylides introductis heroibus clarissimis, ex quibus alter fortunas suas tristissimas e numinis ira coortas narrat, alter, nempe Hercules ipse, suis dictis factisque inscius atque imprudens sibi exitium parat. Haec igitur voluit Hieronem ex his colligere: se quoque deorum numini et potestati supremae esse subiectum neque posse effugere quaecunque

di decrevissent. Intererat enim ex aevi illius sententia inter regem et deum non pusillum quoddam, sed tantundem fere quantum inter terram atque caelum[1]), seroque Graeci ab orientis populis didicerunt reges virosque potentes iuxta deos vel etiam supra deos colere. Cuius rei primum exemplum dederunt Samii optimates a Lysandro restituti, homines Persarum consuetudine iam diu infecti: Persarum enim erat, ut ait Isocrates, hominem mortalem humi prostratos adorare et *δαίμονος* nomine salutare, contra deos etiam minoris quam homines facere. Ipse Isocrates cum Euagorae Cyprii encomium conscriberet ab hac barbara superstitione non satis cavit; idem tamen in oratione epistulisque Philippo Macedoni scriptis Graecae indolis se memorem ubique praestat, et cum dicit (ep. III, 5): *οὐδὲν γὰρ ἔσται λοιπὸν ἔτι πλὴν θεὸν γενέσθαι*, non hoc profecto dicit, fore ut Philippus denique deus fiat, sed in summo humanae quidem fortunae fastigio tum eum constitutum fore. Scimus Philippum aliter de se sensisse, scimus filium eius Alexandrum, scimus Athenienses, postquam deorum suorum veterum servitium exuerunt (quippe quos iam „aut longe abesse putarent, aut auribus carere, aut omnino non esse, aut res hominum non curare“), fatali quadam necessitate in hominum foedissimum servitium turpissimamque adulationem esse prolapsos.

Puto me non inutiliter in his rebus commoratum esse; sane enim magni aestimandum est, quod incorruptae Graeciae monumenta nova haec nobis Aegyptus donavit. Alexander Magnus vix toleravisset carmina qualia Hieroni Bacchylides Pindarusque scripserunt; Hiero non modo toleravit, sed praemiis amplis, puto, remuneravit. Adde quod idem non exegit a poeta, ut pugnae Himerensis clarissimae dignum praeconium insereret, sed contentus fuit

---

1) Pind. N. VI, 3 sq. Pyth. X, 27. Intellegent periti, me vehementer dissentire ab eis quae Wilamowitzius in libro alioquin egregio de Aristotele scripto (Ar. u. Athen I, 337 sq.) de eadem re disputavit.

duobus verbis: χαλκεοστέρνου τ' Ἄρηος, quibus statim adiuncta est admonitio, ne sibi potius quam dis haec adscriberet: εὖ ἔρδων δὲ μὴ κάμοι θεός. Quid quod ne regis quidem appellationem exegit, sed στραταγὸν Συρακοσίων se appellari animo aequo passus est? Neque enim, ut ex ipso Bacchylide iure collegit J. B. Bury[1]), nomen regium vel a populo Hieroni erat datum vel ab ipso assumptum: quod si nihilominus ei plus semel Pindarus largitur, nunquam largitur Bacchylides, videmus fuisse quo quis etiam longius ab omni adulationis specie recederet quam recessit Pindarus, neque tamen eo minus et gratiam Hieronis et praemia sibi pareret. Tum si quis cum Heronda invento Bacchylidem inventum comparat, recte facit eatenus dumtaxat, quod et hic minor fuit Pindaro avunculoque suo et Herondas multis inferior; optassemus igitur et pro Heronda Archilochum et pro Bacchylide Simonidem, si data esset optio. At cetera omnia dissimilia, Herondasque Bacchylide multis partibus inferior. Alter vitam cotidianam depingens non reformidat sordes, quibus etiam delectari videtur, longissime autem abest ab Archilochi spiritu ardenti, qui ne ipsis quidem sordibus magnopere infectari potuit: contra apud Ceum omnia serena sunt et limpida, similia aëri excelso neque sordibus humanis contaminato. Quod autem dicit Wilamowitzius ne apud veteres quidem in honore fuisse Bacchylidem (sicut non fuit Herondas), iustum modum mihi vir doctissimus excedere videtur. Verum est Atticorum neminem Bacchylidis mentionem facere; Alexandrini autem in ordinem novem lyricorum poetarum receperunt, nimirum quod hunc quoque poetam non parvi faciebant. Frustra enim obnititur Wilamowitzius, omnes in eum ordinem receptos esse perhibens, quorum opera sat multa Alexandrinis praesto fuissent; itaque cogitur ut Corinnam praeter omnem veri speciem dicat prioribus Alexandrinis ignotam fuisse, quoniam ea quidem in ordinem non venit.

1) Bury Class. Review 1899, p. 98 sq.

Sed cur Melanippides, Philoxenus, Timotheus, alii dithyramborum et nomorum auctores non sunt recepti, quorum opera multa usque ad Alexandrinum aevum durasse certissimum est? Nempe ei criticorum iudicio non sunt probati, sicut est probatus Bacchylides. Atque id ipsum, quod huius tot carmina usque ad illa tempora manserant, nonne manifesto ostendit multis hunc quoque poetam in pretio fuisse? Et scripsit teste Ammonio (p. 79) Didymus commentarios in epinicia; tum Therae inventum epigramma Alexandrinae aetatis manifestam eorundem imitationem prodit.[1]) Iam quod ad Romanos attinet, uno Horatio imitatore Bacchylides contentus esse potest, si quidem imitari est tacite probare: cuius imitationis a veteribus testatae nunc etiam plura exempla agnoscimus. Plutarchus quin eum legerit non est dubium; legisse alios quoque multos credibile est usque ad Iulianum imperatorem, hominem minime contemnendi iudicii, de quo haec tradit Ammianus Marcellinus (XXV, 4; frg. 38): „recolebat saepe dictum lyrici Bacchylidis, quem legebat iucunde id asserentem, quod“ e. q. s. Ea autem quae Clemens Alexandrinus ex Bacchylide affert, unde tandem scit Wilamowitzius ex anthologiis quibusdam ab eo sumpta esse? Quippe haec carmina et iucunda erant et intellectu facilia, quae si non summa laus est, poterat tamen (et nunc potest) multis Bacchylidem prae Pindaro commendare. Sed haec non ideo disputavi, ut ἀλαθείαν, de qua multus est Bacchylides, cupida contentione obruerem. Fuit quidam artior lyricorum ordo, in quem venerunt cum Stesichoro Alcaeoque Pindarus et Simonides, non venerunt Alcman, Ibycus, Anacreon, Bacchylides; itaque et apud Dionysium (librum secundum περὶ μιμήσεως dico) et apud Quintilianum de his silentium est. Sed vide quid praemittat Quintilianus (X, 1, 45) indici auctorum quos adulescentibus commendat: „fateor plures legendos esse quam qui a me nominabuntur“. Atque si mediocribus (ut ait Wilamowitzius

1) V. ad IX, 21 sqq.

Horatiano loco usus) poetis bellum indicitur, Latinis quidem quid futurum sit plane nescio. Verum poetam fuisse Catullum nemo negat; magnum autem et Pindaro Aeschyloque aequiperandum quis tandem dicere ausit? Neque tamen Horatius eos mediocres intellegi vult, qui infra summum sint, sed qui nihil habeant quod magnopere placere possit: Isyllum igitur Delphicosque poetas in eo numero reponamus, a Bacchylide vero ipsoque Horatio id nomen procul arceamus. Disertum de Ceo poeta iudicium nullum superest praeter Longini qui dicitur hoc (de sublimit. 33, 4 sq.): esse maximorum poetarum interdum etiam dormitare et labi, idque apparere et in Homero et in Archilocho Pindaroque et Sophocle; at minores, qui non tantum auderent neque spiritu tam sublime efferrentur, tuto plerumque incedere et a lapsu cavere; horum autem exempla dat Apollonium, Eratosthenem, Bacchylidem, Ionem interrogatque: *τί δ'; ἐν μέλεσι μᾶλλον ἂν εἶναι Βακχυλίδης ἕλοιο ἢ Πίνδαρος; καὶ ἐν τραγωιδίαι Ἴων ὁ Χῖος, ἢ νὴ Δία Σοφοκλῆς; ἐπειδὴ οἱ μὲν ἀδιάπτωτοι καὶ ἐν τῶι γλαφυρῶι πάντηι κεκαλλιγραφημένοι· ὁ δὲ Πίνδαρος κτἑ.* Haec igitur Bacchylidi sicut Ioni tribuit, *καλλιγραφίαν* et *τὸ γλαφυρόν*, quae sunt non grandis atque sublimis generis propria, sed medii cuiusdam, quod sunt qui floridum appellaverint. Maneat autem sua cuique generi laus.

Non magis mihi quam Britanno editori consilium est omnia hoc loco de Bacchylide exsequi, sed potissima quaedam excerpere, cetera aliis relinquere. Latiorem eum esse quam Pindarum facile apparet; singulis rebus ornandis tempus insumit neque facile patitur ut sine ornatu aliquid prodeat; maxime autem dei ubi comparent semper epithetis suis quasi induti sunt, ut in quinto carmine: *ἰοστεφάνων Μοισᾶν, Χαρίτεσσι βαθυζώνοις, χρυσάμπυκος Οὐρανίας,* tum *εὐρυάνακτος Ζηνὸς ἐρισφαράγου*; rursus *κυανοπλοκάμου Νίκας, χαλκεοστέρνου Ἄρηος, χρυσόπαχυς Ἀώς, Διὸς ἀργικεραύνου, Φερσεφόνας τανισφύρου, Διὸς μεγάλου, καλλίζωνος Ἥρα, Παλλάδι ξανθᾶι, καλυκοστεφάνου σεμνᾶς χόλον Ἀρτέμιδος λευκωλένου, δαΐφρων ἀγροτέρα Λατοῦς θυγάτηρ*;

denique καρτερόθυμος Ἄρης, χρυσέας Κύπριδος θελξιμβρότου, λευκώλενε Καλλιόπα, Δία Κρονίδαν Ὀλύμπιον ἀρχαγὸν θεῶν, ὁ μεγιστοπάτωρ Ζεύς. Sunt quaedam in his vulgaria atque trita, pleraque autem minime vulgaria, sed arte quaesita. Britannus editor vocabula centum duo computat quae nunc primum compareant, inter quae longe maxima pars sunt epitheta; Italus autem G. Fraccaroli[1]) diligenti comparatione instituta ostendit non ita multa epitheta Bacchylidi cum Pindaro esse communia, ut appareat in utroque studium novandi neque ab altero sumendi. Idem recte observat usum epithetorum apud Pindarum longe parciorem esse; Ceus enim, ut est de Alcidamante apud Aristotelem[2]), epitheta non ut condimentum sed ut cibum adhibere videtur. Praeterea cur est Urania χρυσάμπυξ, Calliope et Diana λευκώλενος, Victoria κυανοπλόκαμος? Nempe quia deae sunt sive potius quia feminae; nihil enim haec proprii habent neque singulis personis accommodata sunt. Sed Homerum scilicet lyricus imitatur, apud quem non magis deus aliquis vel etiam homo sine epitheto nominatur, ut abesse non possit quin ex eis epithetis quaedam multo usu detrita videantur neque animum ferire possint, velut δῖος, θεοειδής, θεοῖς ἐπιείκελος, quippe quae quibuslibet hominibus promiscue tribuantur. In comparationibus quoque Bacchylides Homeri exemplum sequitur, dilatando omniaque diligenter depingendo et exornando; hinc fit ut et aquilae illa comparatio integram stropham quinti carminis expleat, et altera navis ventis conflictatae sed denique portum nactae item integram duodecimi. Pindaro autem nunquam tantum otii est, sed densus sententiis imaginibusque ab alia ad aliam festinat. Id quoque sane notabile, quod Pindarus ipsam victoriam quam canit, etsi necessario commemorat, tamen nunquam fere ante oculos subtili descriptione collocat; contra Bacchylides hoc quam maxime suum ducens Pherenici equi cursui

---

1) Rivista di Filologia XXVI, 14 sqq. 2) Aristot. Rhet. III, 3: οὐ γὰρ ἡδύσματι χρῆται ἀλλ᾽ ὡς ἐδέσματι τοῖς ἐπιθέτοις.

depingendo tredecim versus tribuit, et Automedem pentathlum laudans singula certamina vivide enarrat, et Atheniensem cursorem quem carmine IX. celebrat sic celebrat, ut memoriam cursuum singillatim describendo instauret. Pindarus autem, ut unum id commemorem, de Pherenico haec tantum habet quae dicat: *Φερενίκου χάρις —, ὅτε παρ' Ἀλφεῷι σύτο, δέμας ἀκέντητον ἐν δρόμοισι παρέχων, κράτει δὲ προσέμειξε δεσπόταν.*

Iam quod ad structuram totius alicuius carminis epinicii attinet, videtur non solum ante Bacchylidem, sed etiam ante Pindarum certa eis carminibus forma constituta esse, fortasse per Simonidem, qui utroque multo antiquior fuit. Non id dico, similia esse inter se haec carmina sicut ovum ovo, sed ut avem avi vel denique animal animali. Una est pars victori et eius rebus ipsique victoriae destinata, altera mythica, tertia gnomica; itaque sunt complura genera carminum in hoc unum genus quasi conflata, cum et sententiae per se carminis quoddam genus conficere possent et narrationes mythicae. Simonidis enim carmen, de quo in Platonis Protagora disputatur, totum sententiosum fuit, dithyrambi autem qui vocabantur, id quod nunc aliquanto melius quam antehac cernimus, praeter prooemium et clausulam nihil nisi narrationem habebant poterantque vel sola ea contineri. Quae cum ita sint, recte videtur conici posse, nullum inter deperdita Pindari carmina cuiuscunque generis fuisse, quod epinicia in Hieronem, Theronem, Arcesilaum composita splendore structuraque magnifica aequipararet, neque immerito hoc unum genus aequiore fortuna quam cetera omnia esse usum. Etsi apud Pindarum sententiosa pars plerumque deficit; aliud enim est singulas sententias interspergere, aliud longo ordine eas nectere, quod ille utpote Boeotus fortasse minus facere potuit, sed potuerunt Iones homines Cei. Sed ex tribus his mixtis unum aliquod emergere debebat, quaeriturque, num bene haec miscere et temperare sciat Bacchylides, ut unum sit quodque carmen, non duo vel tria disiuncta et male conexa. Fabulas igitur

intextas habent haec carmina: I. III. V. VIII. X. XII, non habent praeter breviuscula II. IV. VI etiam VII. IX et ut putaverim XIII, cuius dimidia pars vel minus eo exstat; de XI nihil sciri potest. Itaque ut a III. initium faciam, quin Croesi fabula ibi narrata non extrinsecus sit superaddita, sed interiore nexu cohaereat, nemini dubium esse potest. Sententia enim quam proponit poeta v. 21 sq., ex Hieronis erga Apollinem munificentia deducta: *θεὸν θεόν τις ἀγλαϊζέτω, ὁ γὰρ ἄριστος ὄλβων*, ea ipsa Croesi fabula, quae statim adnexa est, quam optime illustratur, post fabulam autem reditus fit ad Hieronem comparatione inter illum Croesumque instituta. Sed in quinto carmine quid simile inter Hieronem et Meleagrum sive Herculem? Nihil sane; verum alia argumenta aliam tractationem poscebant. Ostendere voluit Bacchylides, ut iam antea dixi, sortis communis humanae miseram condicionem, ex qua reges non magis quam ceteri mortales essent exempti; non igitur potuit comparatione uti, cum non naeniam aliquam caneret, sed victoriae equestris laetitiam celebraret. Itaque haec Meleagri Herculisque fabula non illustrat ante dicta, quibus victoriam ceterasque Hieronis laudes extulerat, sed contraposita est. Praeparatur autem sententiis quibusdam: 36 *εὖ ἔρδων δὲ μὴ κάμοι θεός*, et generali illa quae proxime ante fabulam posita est (53 sqq.): *οὐ γάρ τις ἐπιχθονίων πάντα γ' εὐδαίμων ἔφυ.* Porro in carmine XII. victor est pancratiasta, patria Aegina Salaminia victoria insignis eademque Aeacidarum heroum indigenarum in tutela agens; vix igitur dicere opus est, quam apte mythica pars Aiacis Achillisque apud Troiam fortiter facta enarret. Aeacus eiusque mater Aegina etiam in VIII. commemorantur, sed eorum laus cum ceterarum Asopi filiarum coniuncta est; scilicet Phlius erat huius victoris patria, Phliasios autem ex Asopi sui fluvii progenie praecipuam laudem quaesivisse ex donario quod Olympiae posuerunt apparet[1]); itaque

1) Pausan. V, 22, 6; vid. ad VIII, 61 sqq.

facilis via poetae parata erat. In decimo autem carmine videtur sane tenui filo Proeti filiarum fabula cum victore Metapontino conexa esse, nempe Dianae *Ἡμέρας* religione ex Arcadia Metapontium translata; ea enim dea et Proeti filias denique sanasse et Alexidamo post Olympicum certamen prospero eventu carens Delphicam victoriam tribuisse dicitur. In primi autem carminis structuram non ante introspicere potuimus, quam Wilamowitzii Ellisiique doctrina fabulae quae ibi exstabat argumentum paullo clariore in luce collocatum est. Itaque summa carminis his sententiis contineri videtur (159 sqq.): *φαμὶ καὶ φάσω μέγιστον κῦδος ἔχειν ἀρετάν· πλοῦτος δὲ καὶ δειλοῖσιν ἀνθρώπων ὁμιλεῖ, ἐθέλει δ' αὔξειν φρένας ἀνδρός, ὁ δ' εὖ ἔρδων θεοὺς ἐλπίδι κυδροτέρᾱι σαίνει κέαρ.* Haec propter victorem Argium et quodammodo de Argio dicta esse ostendunt versus 155 sqq.: *Κρονίδας Ἰσθμιονίκαν θῆκεν ἀντ' εὐεργεσιᾶν.* Fabulam autem carminis videre videmur de mulieribus pauperculis fuisse, quae Iovem olim hospitio exceperint quasque ille magnopere remunerarit. Optimus igitur atque intimus in hoc quoque carmine partium nexus comparet. Addo esse ubi duplex sit mythica pars, narratione statim post principium inserta de ludorum quibus victoria parta est originibus. Hoc factum est et in VIII. et in XII., illic nullo interiore vinculo intercedente — certe non cernitur quid praeter Nemeaeos ludos commune sit Adrasti expeditioni infaustae et Automedis victoriae —, at in XII. multa cum arte, cum Hercules Nemeae cum leone luctans pancratiastae victoris quasi imago monstretur. Sententiosa autem pars et primi carminis ultimum systema occupat et tertii paullo minus quam duo ultima systemata; idem locus est sententiis in nono datus, et in XIII. ipsum principium ab eis fit. Alia carmina ampla aut carent sententiis generalibus (X), aut raras habent (V), aut denique cum laudibus ita intertextas, ut per se partem non efficiant (VIII. XII.). Est autem etiam duodecimum ex eis, in quibus unitas illa quam requirere solemus minime desideretur; canitur enim fortis pancratiasta cum forti

patria Aegina fortibusque eius heroibus. Non igitur ars in componendis variis partibus huic poetae defuit, etsi non eadem ubique exhibetur.

De dialecto qua Bacchylides usus est iam Britannus editor potissima declaravit, alia Wilamowitzius adiecit[1]), alia P. Schroeder in censura editionis meae prioris; tum plenissime Herwerdenus hanc rem exsecutus est.[2]) Veram Doridem, qualis fuit vel apud Epicharmum vel apud Alcmanem, non magis quam in Pindaro grammatici agnoverunt, sed est sermonis forma vel epica vel communis poetica cum Dorica et ex exigua parte etiam Aeolica temperata, maximeque accentus vulgares sunt. *A* est pro *H* in plerisque, ubi Doris illam vocalem habebat; habere autem solita est etiam in *Ζηνός ἥβα εἰρήνα Ἀλκμήνα μῆλον* („ovis") *στῆθος*. Sed praeterea Bacchylides similes sonos vitans dissimilesve sectatus *φήμα* dicit ex Iade et Doride mixtum, item *κυβερνήτας*, *ἀδμῆτα* sed *ἄδματοι*, *ληισταί* sed *λαΐς*. Neque tamen regula certa usus est, cum iuxta inveniantur *Ἀθάνα Ἀθᾶναι αἰχματάν ἀλάταν ἀντάσασαν ἀπράκταν νικάσας προφᾶται* (*προφ[άτ]ας* VIII, 3) *σελάνα*. Est autem similis etiam apud poetas tragicos inconstantia: *φήμα* quidem traditum est Aesch. Suppl. 697. Soph. OR. 475. Phil. 846. Eur. Alc. 1005. El. 701. Hipp. 572. Ion. 691, at alibi *φάμα*, sicut apud eosdem *βλαχά γελάνα λάθα παγά* (etiam *πηγαῖς*, *-άς*, sed nusquam *πηγά*) *πλαγά* (*πληγᾷ* Eurip. Ba. 93, *α* pro *η* corr. C) *σελάνα χαλά*.[3]) Sed redeo ad Bacchylidem. Cur post *ζ η* praeferat, nescio; sed certe et *ζᾶλος Πολύζαλος*, item *Τροζάν* doricum est, et apud hunc semper *ἐπίζηλος πολύζηλος πολυζήλωτος Τροιζηνία* (XVI, 58) exstant. Porro *παρηΐδων* XVI, 13, ut apud tragicos; doricum est *παράα* vel *παράια*. *Παιηόνων* ut videtur XV, 8, quae est forma Homerica, et in imitatione Homeri *ἐν κλισίῃσιν* XII, 135.[4]) Denique bis *ἐπισκήπτων*

1) Gött. Gel. Anz. 1898 p. 152 sqq. 2) Mnemosyn. XXVII, 36—45. 3) Althaus de tragic. gr. dial. (Berol. 1866) 14 sqq. 4) Cf. eodem strophae loco *ἐφίησι(ν)* 48.

(V, 42. VII, 41), neque tamen σκῆπτρον sed σκᾶπτρον; conicit Herwerdenus alienum fuisse a poesi dorica σκάπτω, pro quo σκίμπτω adhibuit Pindarus. Hos autem ionismos non toleravi: ἀληθείαι V, 187 (reliquis locis α). παραπλῆγι X, 45 (at πλᾶξεν, πλάξιππος). ἠλύκταζον 93. Contraria ratione comparet *A*, ubi *H* expectes, in δίνασεν XVI, 18 (at δίνηντο 107. ἱπποδίνητος V, 2); similia sunt apud Pindarum ἐδινάθην Pyth. XI, 38 (B -ήθην), ὠκυδινάτοις Isthm. IV (V), 6. *T* doricum pro *Σ* in universum non receptum est; itaque σύ, non τύ ut saepe apud Pindarum (nisi quod dativi enclitica forma τοι est, quam ionica quoque dialectus habet, et ὀρθοτονουμένη semel dorice τίν, XVII, 14), et in verborum tertia plurali plerumque -σι(ν), ut φασίν, εἰσί, ἴσχουσι, οἰκεῦσι, et in eadem singulari ἐφίησι. Sed observatur quod antecedente σ (ξ) tertia pluralis in -οντι exit: πτάσσοντι V, 22, καρύξοντι XII, 231; item si elidenda erat vocalis, quam elisionem respuebat -ουσι(ν): σεύοντ' XVII, 10, βρίθοντ' frg. 4, 17; contra -ουσιν est necessario IX, 45 αὔξουσιν τὸ. Praeterea haec sunt dorica: εὐκλεΐξας (Pind.) VI, 16, δοίαξε X, 87, παιάνιξαν XVI, 129 (sed ὤικισσαν ut Pind., proxime antecedente κ; ἀγκομίσ⟨σ⟩αι ut videtur pro -ξαι Pindarico); infinitivus in -εν aliquoties: ἐρύκεν (hoc accentu) XVI, 41, θύεν XV, 18 (ῠ ut apud Homerum Pindarum alios), ἴσχεν sive potius σχέν (monstrantibus numeris) XVI, 88, φυλάσσεν XVIII, 25, sed neque semper (λαγχάνειν ἀπὸ IV, 20) neque unquam a verbis in -έω (εὐμαρεῖν οὐδὲν I 175); αἰ pro εἰ bis tantum, νιν (semel μιν traditum, X, 111), θατήρ = θεατής a dorico θᾶσθαι IX, 23, ὄρνιχες V, 22 sq. Valde rarae sunt formae Aeolicae: ἄμμι XVI, 25, κλεεννός iuxta κλεινός, ἔμμεν, ἔμμεναι (XVII, 14) iuxta εἶμεν (IX, 48), ἔλλᾱθι X, 8 (offendit ᾱ); tum non plus semel Μοῖσα V, 4, item semel λαχοῖσαν XVIII, 13 sq.; adde ἐπαθρήσαις (quod pro participio habeo) XII, 227. *Δίνηντο* = δινέοντο est XVI, 107, sed accentu falso (-ῆντο) instructum. Epica insolentiora sunt ὃς ἂν λάχῃσι XVIII, 3 sq. et θάλπῃσι frg. 20, 2, quod et ipsum pro coniunctivo utique accipiendum

est.[1]) Digamma in libro nostro nusquam comparet; sed a poeta ipso scriptum esse putaverim, ubi eo omisso hiatus fit, sicut a Pindaro; falsum digamma est in *εἵλετο* (*ϝ*)*ιὸν* V, 75, nam *ϝίον* fuit et *ϝιός* „virus", sed *ἰός* „sagitta" ea consona caruit[2]), unde Homerus eo ipso versu, quem Bacchylides imitatus est (*Δ* 116): *αὐτὰρ ὃ σύλα πῶμα φαρέτρης, ἐκ δ' ἕλετ' ἰόν.* Adde (*ϝ*)*ιανθεὶς* XVI, 131, (*ϝ*)*ιαίνεται* III, 68? (v. adn.), quocum bene comparavit Housman Pindaricum (Ol. II, 13) *Ἀλφεοῦ ἰανθείς*; nempe *ϝιανθ.* si legamus, iam nulla erit necessitas ut membrum *ϝιανθεὶς ἀοιδαῖς* per se periodus sit. Apud neutrum autem poetam accedente *ϝ* ad consonam syllaba produci videtur. Ceterum pro numerorum necessitatibus vel *μόνος* Bacchylides adhibet vel *μοῦνος*, *κόρα* et *κούρα*, *ἴσος* et *ἶσον*, *κᾰλός* et *κᾱλός*; memorabile *ἀλαθείᾱ* ad normam ionici *ἀληθηίη*.[3]) In universum igitur videmus non magis hunc poetam quam alios uni alicui dialecto addictum servisse, sed diversa locis atque gentibus licenter miscuisse. Plane autem temere eum id fecisse minime probabile est; immo subinde nobis apparere visae sunt rationes quaedam in sonorum similitudinibus positae. Soni autem similitudinem modo fugit, ut in *φάμα*, *καρύξουσι*, item in *τανίφυλλος* et *τανίσφυρος*, ut recte conicere videtur Herwerdenus[4]), modo ex contrario sectatur: nempe fugit intra singula vocabula, sectatur in plurium coniunctione: qua de re cum multa dici possint, pauca excerpam. Minime equidem casu accidisse puto, ut in brevi hac sententia (III, 35 sq.): *χέρας δ' ἐς αἰπὺν αἰθέρα σφετέρας ἀείρας*, non modo tria vocabula ab *αι* (*α*) inciperent, sed etiam litterarum coniunctio quae est *ΕΡΑΣ* non minus quater recurreret (*ΑΕΡΑΣ* enim ipse Bacchylides scripserit). In nullo

1) Mirum est ionicum *κοτέ* pro *ποτέ* in III a correctore aliquo bis illatum esse videri: vv. 23. 72. 2) Wackernagel; Wilamowitz p. 152. 3) De positione per mutam cum liquida vel effecta (quod plerumque fit ap. B.) vel non effecta et alii egerunt et accuratissime H. W. Smyth (v. infr. p. LXXII). 4) Cf. *κινάμυια* v. l. pro *κυνάμ.* Il. *Φ*, 394.

autem carmine frequentius talia observavi quam in decimo: Vide modo haec (15 sqq.): *ἵλεῳ νιν ὁ Δαλογενὴς υἱὸς βαθυζώνοιο Λατοῦς δέκτο βλεφάρων· πολέες δ' ἀμφ' Ἀλεξίδαμον ἀνθέων ἐν πεδίωι στέφανοι Κίρρας ἔπεσον κρατερᾶς ἦρα παννίκοιο πάλας.* In his varii soni adhibentur pro varia rei quae depingitur natura: frequentantur *Λ* et *Δ* dum de Apolline propitio et de floribus agit in victorem coniectis; sed ad luctationem fortem illustrandam praeter *ΠΕ* et *ΠΑ Κ* et *ΡΑ(Σ)* utitur, eas scilicet rationes secutus quas et Dionysius in libro de compositione scripto exposuit[1]) et ut puto alii multi ante Dionysium. Item in his (85 sqq.): *τὸν δ' εἷλεν ἄχος κραδίαν, ξεῖνα (ΞΕΝΑ) τέ νιν πλᾶξεν μέριμνα· δοίαξε δὲ φάσγανον ἄμφακες ἐν στέρνοισι πᾶξαι.* Dure haec composita sunt, mollius autem proxima: *ἀλλά νιν αἰχμοφόροι μύθοισί τε μειλιχίοις,* nisi quod rursus durius hoc extremum: *καὶ βίᾱι χειρῶν κατέχον.* In aliis id poeta sectatus esse videtur, ut membra iuxta posita etiam artius sonorum similitudine colligaret: (22 sq.) *οὐκ εἶδέ νιν ἀέλιος | κείνωι γε σὺν ἄματι πρὸς (γᾱίαι πεσόντα).* (24 sq.) *φάσω δὲ καὶ ἐν ζαθέοις ἁγνοῦ Πέλοπος δαπέδοις* (adde quod *ζα* idem est atque *σδα*; in eodem membro recurrit *ΠΕ*). (43 sqq.) *τὰς ἐξ ἐρατῶν ἐφόβησεν | παγκρατὴς Ἥρα μελάθρων* (ter exstat *ΡΑ*) | *Προίτου, παραπλᾶγι φρένας | καρτερᾶι ζεύξασ' ἀνάγκαι.* Correxi quod traditum erat *παραπλῆγι* (v. supra p. XXVI); ceterum hic quoque *Ρ(Α)* frequens, recurrit autem et *Π* et *ΚΑ* (*ζεύξασα* = *σδεύκσασα*). Itaque eximia ars poetae in his aliisque pluribus agnoscitur, eo quidem etiam magis laudanda, quod cavit ille fere semper ne in aures se haec artificia ita inculcarent, ut animadversio fieret. Dudum enim ipse postquam haec carmina cognovi ad hanc rem animum adverti.

III.

De numeris Bacchylideis versibusque, stropharum et carminum compositione, video mihi paullo plura dicenda

1) Dionys. de composit. c. XIV—XVI.

esse, eo quidem magis, quod insignibus his novis copiis potiti etiam ad vetera rectius intellegenda aliquid proficere possumus.

Scripta igitur sunt haec carmina per cola, qua ratione Aristophanem Byzantium opera Pindari, Simonidis, aliorum poetarum lyricorum digessisse accepimus. Manet ea ratio in Pindari libris qui hodie exstant, etsi num sincere ubique Aristophanea membrorum divisio ad nos propagata sit dubitari potest. Ipsi poetae credendi sunt non divisim sed coniunctim totas strophas scripsisse[1]), fuisseque antiquitus simillimam speciem carminis alicuius lyrici (maxime dithyramborum recentiorum, qui etiam strophis carerent) atque orationis pedestris, neque solum speciem sed etiam ipsam numerorum compagem, postquam oratio ad exemplum dithyramborum aliorumque carminum lyricorum numeris uti coepit.[2]) Alexandrina autem aetate, cum iam non canerentur antiquorum carmina, sed recitarentur legerenturque, in modum vel Homeri vel Euripidis versibus divisis etiam in Pindaro ceterisque opus fuit, occuparuntque provinciam a musicis derelictam grammatici metricique. Qui qua scientia eam administraverint, iam paullo melius quam antehac discernere possumus; non enim est veri simile, inter eam divisionem quam Aristophanes — sive alius fuit — in Bacchylide instituit eamque quam iam oculis cernimus permultum interesse.

In universum igitur videmus cola ab his grammaticis constituta trimetri sive temporum XVIII mensuram non excedere, sicut non excessit πούς rhythmicorum; nam de paeonicis usque ad XXV tempora extentis non est quod hic disseram. Extant tamen praeter trimetros aliquot hypercatalectos (ut V, str. 9. ep. 1. 3) etiam tetrametri

1) Diu est ex quo hoc pronuntiavit Wilamowitzius, cuius sententia carminibus melicis lapidi incisis, tum Orestis Euripideae fragmento chartaceo insigniter confirmata est. V. et Christ. Pind. p. XIV sq. 2) Cic. de or. III, 185: *inde ille licentior et divitior fluxit dithyrambus, cuius membra et pedes, ut ait idem* (Theophrastus), *sunt in omni locupleti oratione diffusa.*

pauci: VIII ep. 2. IX, str. 10. XIV, str. 6 (ut omittam carmen XVI numeris difficillimis scriptum), et in stropha carminis XII versus sextus septimusque semel (84 sq.) in unum eumque tetrametrum coacti sunt: – ⏑ – – – ⏑ – – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –; item in eiusdem epodo semel (159 sq.) tertius quartusque: ⏓ – ⏑ – – – ⏑ – – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –. Poterant autem hi utrique coniungi secundum rationem a Boeckhio clarissimo viro institutam. Contra in eodem carmine trimetri hypercatalecti semper divisi sunt: – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – | ⏒ – ⏑ – – (str. 1. 2; 7. 8; ep. 2. 3), atque in primiuna epodo (115) etiam acatalectus in ceteris epodis non divisus: – ⏑ – – – ⏑ – | – – ⏑ – –. Fortasse igitur ipsi grammatici etiam saepius periodos e binis membris compositas admiserant, cui quidem rei etiam ex Pindaricis scholiis fides accedit. Ter enim ibi legitur: *τὰ δύο μία ἐστὶ περίοδος* (ad Ol. IX, 124. 134. X [XI], 24), adscriptum ut videtur ab eis, qui eas periodos in membra sua dissolvissent.[1])

Neque vero putaverim ita male fecisse Aristophanem ceterosque, quod in universum per cola haec carmina quam per periodos scribere maluerunt. Quid sit membrum vel *πούς*, probe scimus; periodus quoque e binis membris structa et nota res est neque difficile animo comprehenditur, sed Boeckhiani versus, qui eam quoque mensuram saepe excedant, aegre et intelleguntur et recitantur, neque omnino eius stropharum divisionis ratio satis apparet. Quid enim causae esse dicas, cur in Pindarici carminis Olympiaci IX. stropha eadem plane membra: – ⏒ – ⏑ ⏑ – ⏑ – et ⏓ – ⏑ ⏑ – –, postquam quater deinceps in singulas periodos coniuncta sunt, quinto loco soluta per se exstent, intercedente hiatu syllabaque ancipite? Accedit quod minime ubique certum atque indubium est, qua ratione sint Pindari versus dispescendi, atque Christius nuper eo usque processit, ut vel intra versum syllabam ancipitem admitteret. Apud Bacchylidem autem primum in carminis V. stropha versus ultimum paenultimumque inter se artius

1) X, 24 additur *ιζ' συλλαβῶν*. Cf. Christius Pind. p. XV.

coniunctos esse apparet, cum sit ubi prioris finis in medium vocabulum incidat; reperitur tamen semel eodem loco syllaba anceps (189): *χερσὶν ἀπωσάμενον* | *εἴ τις*. Verum ibi quidem et emendationem facilem (*ἀπωσαμένους*[1])) inveneris, et explicationem iustam, quae infra mihi exponenda est. Tum in decimi epodo haec inter se respondent: (α′) *γνῶμαι πολύπλαγκτοι βροτῶν* | *ἅμερσαν ὑπέρτατον ἐκ χειρῶν γέρας* (35 sq.); (β′) *τεῖχος δὲ Κύκλωπες κάμον* | *ἐλθόντες ὑπερφίαλοι κλεινᾶι πόλει* (77 sq.); (γ′) *Κάσαν παρ᾽ εὔυδρον προγό*|*νοι ἑσσάμενοι Πριάμοι᾽ ἐπεὶ χρόνωι* (119 sq.). Haec igitur membra coniuncta habebunt syllabam ancipitem, dirempta vocabuli eiusdem communionem. Sed patet, inquies, etiam ex ipsa sententia locum tertiae epodi esse corruptum, neque hiatus *-νοι ἑσσ-* tolerari potest. Itaque hanc quoque difficultatem nunc mittamus. Sed tertium accedit, quod carminis III. stropha, quae nunc ex quattuor undenarum syllabarum membris structa legitur, secundum Boeckhii rationem ita erit scribenda:

⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑
– – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – –
– – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ –
⏑ ⏑ – ⏑ – –.

Nulla enim est inter membra tertium quartumque, qualia in charta leguntur, divisio hiatu syllabaque ancipite stabilita, sed et brevis est semper ultima illius syllaba et semel (v. 3) vocabuli alicuius media; contra post quintam quarti bis hiatus admissus est: (64) *ὦ μεγαίνητε Ἱέρων θελήσειν* et (92) *Μοῦσά νιν τρέφει. Ἱέρων σὺ δ᾽ ὄλβον*, ceteroquin autem semper ibi est vocabuli finis. Me igitur si audis, haec est huius rei ratio. Catalectica sunt membrum primum alterumque, id est, habent post se tempus inane, quo hiatus excusatur; tertii autem pes ultimus expletur quarti principio, quartumque membrum habet tempus inane post quintam syllabam. Verum minime

1) Ita Platt, Housman.

affirmo vel omnia inania tempora hiatum admittere vel ubi hiatus sit etiam inane tempus semper esse. Eiusdem enim carminis epodus manifesto ex tribus binorum membrorum periodis componitur; sed ex eis prima est *ἀκατάληκτος*, tertia autem cum sit *προκατάληκτος*, hoc est catalecticum habeat membrum prius, nihilo tamen magis hiatum intra se admittit.[1])

Itaque etsi est aliquid periodus, intermedium illud quidem inter stropham et membrum: tamen non sunt ubique tales periodi, sed *συνάφεια* illa, quae intra periodum est et cum deficit eius terminum designat, et per longius spatium interdum obtinet (ut apud Pindarum Isthm. VII [VIII] v. 5, et apud Bacchylidem V ep. v. 3—6. 7—10), et contraria ratione aliis locis ita saepe interrumpitur, ut ex colis, non periodis, eae strophae vel totae vel magnam partem constent (Pind. Isthm. IV [V] str. 1—5 et epodus tota). Qua pro rei obscuritate ita hanc editionem institui (Christii ex parte exemplum secutus), ut servata divisione tralaticia ea membra, quae cum proximis prioribus vel certa vel probabili *συναφείᾳ* coniuncta essent, *ἐν εἰσθέσει* collocarem.[2]) Verum altera quoque difficultas oboritur. Interdum enim intra aliquod membrum tralaticium *συνάφεια* hiatu admisso interrumpitur, primum in tertii carminis stropharum quarto versu, de quo iam dictum est; iterum in noni strophis, quarum versus quintus sextusque hanc

---

1) In Orestis fragmento (edid. Wessely, Mitth. aus den Pap. Erzh. Rainer, V) singuli dimetri dochmiaci singulis signis sonorum citharae inter se disiuncti sunt; unus autem dimeter bis est compluribus eiusmodi signis interruptus. Cf. Aristid. Quintil. p. 26 M.: *τοῖς μὲν κάτω (σημείοις) τὰ κῶλα καὶ τὰ ἐν ταῖς ᾠδαῖς μεσαυλικὰ ἢ ψιλὰ κρούματα, τοῖς δ' ἄνω τὰς ᾠδὰς χαρακτηρίζομεν.* Bk. Anecd. p. 751: *διὸ οὐδ' ὁ στίχος* (lyricorum) *κεῖται ἐν τῆι στοιχήσει τέλειος, ἀλλὰ μέχρι τοῦ ἀπηχήματος τῆς λύρας στίζει τὴν ὁρμήν, ὡς ὁρᾷς τὰ τοῦ Πινδάρου συγκεκομμένως ἐκφερόμενα.* 2) Ipse Christius (Ber. d. Münch. Akad. 1898, 26) hanc rationem in Bacchylide commendat; eandem commendat Kenyon; at alii aliam neque ut puto commodiorem legentibus secuti sunt.

habent formam traditam: ⏑ – (–) – ⏑ – ⏑ (hiat. v. 15. 33. 43) – ⏑ – – (συνάφ.) | – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –. Hic igitur corrigenda est divisio tradita, quattuor syllabis e quinto in sextum translatis. Denique in XV, str. 8 est hiatus in antistropha (20): ὀβριμοδερκεῖ ἄζυγα; at in stropha ⏑ ⏑] ἴκηι παιηόνων, ut ne incisio quidem sit eo loco quo hiatum habet antistropha. Ultima syllaba utique anceps est, cum proximus in antistropha versus a παρθένοι incipiat; itaque inserto γ' hiatum sustuli. In III. rem significavi interstitio maiore relicto.

Sunt apud hunc poetam alii quoque pauci loci, quibus tralaticiam membrorum divisionem mutaverim; sunt quibus incerta sit in ipso libro, alia in aliis strophis ratione obtinente; sed ea varietas isque error semper fere intra singulas syllabas subsistit. Gravius est, quod non ita raro quaedam syllaba, quae in aliis strophis locum suum tenet, in aliis plane desideratur; sed de his differentiis tum demum agemus, cum de ipsis numeris Bacchylideis quae inveniri posse videntur exposuerimus.

Est igitur apud Bacchylidem unum quoddam numerorum genus maxime conspicuum, quod idem etiam Pindari nostri dimidiam fere partem obtinet. Dactylo-epitriticum recentiores vocare consuerunt, quia ex dactylis (sive anapaestis) et epitritis ei numeri constare videntur; antiquos id nomen ignorare vix opus est dicere. In scholiis Pindaricis versus huius generis δίμετρα (τρίμετρα) προσοδιακά appellari solent, et est haec constans veterum doctrina, non dactylos ibi esse neque anapaestos, sed choriambos atque ionicos; dimetrum igitur illis est – ⏑ ⏑ –, ⏑ ⏑ – –, ex choriambo atque ionico compositum. Haec nunc tanquam ridicula fastidiunt, nostram utique sapientiam ultra scholiastarum metricorumque esse rati, sicut est profecto in multis rebus. Dubium autem est, num etiam ultra Platonem Aristophanemque, Atheniensem dico poetam, sapere possimus, qui mihi quidem videntur manifestissime simillimam atque scholiastarum opinionem suam fuisse indicare. Egi de hac re in Fleckeiseni Annalibus ante hos

tredecim annos[1]); verum, ut aiunt, *καὶ δὶς τὸ καλὸν καλόν ἐστιν ἐνισπεῖν*, neque *καλόν* tantum, sed hac in re etiam necessarium. Socrates igitur Aristophaneus, qui inter alias artes *τὴν περὶ ῥυθμῶν* profitetur, interroganti Strepsiadi, quinam sit numerorum usus, haec respondet (v. 649 sqq.): *πρῶτον μὲν εἶναι κομψὸν ἐν συνουσίᾳ ἐπαΐονθ' ὁποῖός ἐστι τῶν ῥυθμῶν κατὰ δάκτυλον, χὠποῖος αὖ κατ' ἐνόπλιον.* Haec igitur duo quaedam genera fuerunt et conspicua et inter se similia, inveniasque apud Christium[2]) locum ex scholiis Hephaestioneis (p. 167 Westphal) allatum, quo ea similitudo egregie illustratur: *κατενόπλιον μὲν οὖν* (scil. *ἔπος*) *ἐστι τὸ ἔχον δύο δακτύλους καὶ ἕνα σπονδεῖον, οἷον 'ὣς φάτο δακρυχέων, τοῦ δ' ἔκλυε πότνια μήτηρ'* (*A* 357). Nempe sunt quidam hexametri versus (inter quos est ipse primus Iliadis), qui quoniam tertio sextoque loco, neque ullo alio, spondeum habent, etiam enhoplii numeri formam in se recipiant; sunt autem ei ad amussim exaequati huic Pindarico versui (Nem. IX, 1): *Κωμάσομεν παρ' Ἀπόλλωνος Σικυωνόθε Μοῖσαι*, sive Bacchylidis his membris coniunctis (XII, 87 sq. [54 sq.]): *ἠΰτε νεβρὸς ἀπενθὴς ἀνθεμόεντας ἐπ' ὄχθους.* Itaque hi sunt veri enhoplii, estque nobis sicut Aristophanis aequalibus id numerorum genus notissimum. Plato autem in Politiae libro tertio (p. 400 B) de numeris pauca disserens in genere aequali (*τὸ ἴσον γένος*) Damonis auctoritate usus hos enumerat: *ἐνόπλιόν τινα ξύνθετον, δάκτυλον, ἡρῷον.* Iam tres habemus species pro duabus quae adhuc videbantur; discedit enim herous numerus a dactylici societate. Sed hos quidem inter se differre etiam Marius Victorinus docet (p. 70, 21 K.): *differt a dactylico heroum eo, quod et dactylicum* ⟨*et spondiacum*⟩ *est et in duas caeditur partes . . dactylicum enim, licet isdem subsistat pedibus, non tamen isdem divi-*

---

1) Kleine Beiträge zur griech. Metrik, N. Jahrb. f. class. Phil. 1886 p. 455 sqq. Similia protulit Frid. Hanssen, Philolog. LI (1892) p. 231 sqq. 2) Vide Christii librum de arte metrica (p. 147. 153 ed. II).

sionibus ut herous caeditur versus. Hoc est, si diviseris non *μῆνιν ἄειδε θεὰ Πη|ληϊάδεω Ἀχιλῆος*, sed *μῆνιν ἄειδε θε|ὰ Πηληϊά|δεω Ἀχιλῆος*, habebis numerum dactylicum pro heroo, nisi quod spondeus tertii pedis ei numero minus convenit.[1]) Hic est *κατὰ δάκτυλον* numerus ab Aristophane commemoratus, exemplaque et huius et enhoplii numeri praebebant duae cantilenae antiquae in eadem Nubium fabula (v. 967) allatae, altera incipiens *Τηλέπορόν τι βό|αμα λύρας....*, altera *Παλλάδα περσέπολιν δει|νὰν θεὸν ἐγρεκύδοιμον.* Verum is enhoplius quibusnam rebus ab heroo differat nondum satis explicavimus. *Ἐνόπλιον ξύνθετον* vocat Plato, quod non potest significare ex aequalibus aliquid partibus compositum — ea enim ratione etiam herous numerus dactylicusque et quivis alius *ξύνθετοι* erant dicendi—, sed ex diversis. Sic igitur si diviseris: *μῆνιν ἄει|δε θεὰ Πη||*, *ἐνόπλιον ξύνθετον* habebis, constantem e duabus partibus ambitu aequalibus (senorum enim sunt temporum), sed forma valde diversis. At desinit, inquies, ea ratione numerus dactylicus esse. Quid hoc refert, cum *ἐν τῶι ἴσωι γένει*, de quo Plato loquitur, esse perstet? Ipso nomine dactylicum numerum (*ἴαμβος ὁ κατὰ δάκτ.*) Aristoxenus etiam ⏑ –, ⏑ – nuncupat, quia par est in eo positio sublationi. At sic herous iam non erit dactylicus: duo enim pedes in positione sunt, unus in sublatione, ut sit *γένος διπλάσιον.* Concedendum igitur est Damonem in describendis generibus non exactissima ratione esse usum; verum quis miretur illum perantiquum musicum omnes modos, quibus versus *μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος* in numeros describi poterat, in unum genus coniunxisse et ab *Οὔ μοι τὰ Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει* procul secrevisse? Enhoplii autem quam dixi divisionem a metricis prosodiaco quem vocant adhibitam esse supra

1) Cf. Mar. Victor. p. 70, 13: *(hexametrum) habet sedes sex, quas Aristoxenus musicus χώρας vocat . recipit etiam pedales figuras tres: has Graeci dicunt ποδικὰ σχήματα . nam aut in sex partes dividitur per monopodian, aut in tres per dipodian et fit trimetrus, aut in duas per κῶλα duo . . . dirimitur.*

vidimus, similemque Bacchius adhibet numero quem ille enhoplium dicit: *ὢ τὸν πίτυος στέφανον*; constare enim ait ex iambo et pyrrhichio et trochaeo et iambo. Rursus Marius Victorinus de membro ‒ ◡ ◡ ‒ ◡ ◡ ‒ ‒ haec disserit (p. 73, 33): *appellatur quadrupes δυωδεκάσημος περίοδος, eo quod quattuor pedes temporum duodecim quasi per circuitum quendum recurrentes contineat.* Pedes sunt ‒ ◡, ◡ ‒, ◡ ◡, ‒ ‒; manifestum autem est non metricorum vulgarium esse haec praecepta, sed admixta esse musicorum, quorum erat vocabulum *περίοδος* hoc sensu, ut ternorum quaternorumve pedum inaequalium coniunctionem significaret, velut trochaeorum trium et iambi unius. Eo enim sensu et apud Aristidem comparet et in scholiis Pindaricis et in insignibus Aristoxeni fragmentis, quae ex ruderibus Oxyrhynchi eruta a duumviris praeclare de graecis litteris meritis, Bernardo Grenfell et Arthurio Hunt, proximo anno edita sunt. Itaque sive sic dividas, ut sint quattuor pedes, sive sic, ut duo sint e binis compositi, manebit semper partium inaequalitas, quam in enhoplio significat Plato. Atque sive ab arsi numerus incipit, ut in *ὢ τὸν πίτυος στέφανον*, sive a thesi, ut in *μῆνιν ἄειδε θεὰ Πη-*, id differentiam non facit, ne nominis quidem, si Bacchio fides est; sed habet enhoplius numerus duas has species, ex quibus altera dactylorum formam refert, altera anapaestorum. Nempe ipsum quoque *κατὰ δάκτυλον εἶδος* anapaestos pari iure admittere Stesichori, Ibyci, Simonidis, nunc etiam Bacchylidis reliquiae docent. Mitto autem nunc quaerere, quid inter enhoplium prosodiacumque intersit, quae genera certe affinia inter se fuerunt. Prosodiacum Aristoxenus vocasse videtur hunc numerum: ⏓ ‒ ◡ ◡ ‒ ◡ ◡ ‒ ⏓ (v. Plut. de mus. c. 28), qui est idem enhoplius dimeter hypercatalectus. Melius utique erit uno nomine uti, eo quidem quod antiquiores testes habet, Aristophanem Platonemque; ceterum aliae sunt formae Aristophani usitatae, quibus prosodiaci appellatio tribuitur, enhoplii non tribuitur.

Sint igitur hae enhoplii variae formae una figura

comprehensae: (⏑̲) – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – (⏑̲). Syllaba quae priori dactylo qui videtur anteponi potest plerumque longa, sed interdum brevis est: id quod in multis versibus ab ionico qui a maiore dicitur incipientibus locum habere metrici docent. Item ea quae alterum anapaestum qui videtur sequi potest, et longa invenitur et interdum brevis. Iuxta formam – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑̲ habemus catalecticam – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –; iuxta ⏑̲ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – catalecticam nusquam, sed hypercatalecticam ⏑̲ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑̲. Iam accedit quod loco ionicorum et choriamborum etiam ditrochaei et diiambi immiscentur, producta plerumque altera arsi: unde recens nomen dactylo-epitriticorum fluxit. Agnoscunt horum numerorum intimam cognationem scholia Pindarica[1]), declarantque ipsa carmina manifestissime. Formae – ⏑ ⏑ –, ⏑ ⏑ – – si et tertiam et quintam syllabam produxeris, habebis – ⏑ – –, – ⏑ – –; item si alterius, quae est – – ⏑ ⏑, – ⏑ ⏑ –, et quartam et sextam, evadet – – ⏑ –, – – ⏑ –. Priores diiamborum arses posterioresque ditrochaeorum est ubi correptionem patiantur, perinde atque initia enhopliorum clausulasque modo vidimus. Neglectis autem his correptionibus cetera omnia hac figura comprehendemus: (–) – ⏑ ⏑̄ – ⏑̄ ⏑ – (–). Verum nihil obstat quominus hac mutatione, qua trochaei iambive exsistunt, altera tantum dimetri pars afficiatur: (–) – ⏑ – – ⏑ ⏑ – (–), ut habemus apud Bacchylidem XIII, 2: *συμφορὰ δ' ἐ,σθλὸν ἀμαλδύ(νει)*, cui membro in antistropha totum mutatum respondet (10): – ⏑] *πὰρ χει,ρὸς κυβερνᾶ*|–[2]), vel apud Pindarum Isthm. IV [V] ep. 4: *θνατὰ θνατοῖ,σι πρέπει*, – ⏑ – –, ⏑ ⏑ – ⋀. Facile est in Bacchylidis carmine aequali-

---

1) Velut p. 88 Boeckh de Ol. III str. v. 2: *προσοδιακὸν τρίμετρον* – – ⏑ ⏑, – ⏑ ⏑ –, – – ⏑ ⏑; tum de 3[b]: *προσοδ. τρίμ. καταλ., ἀπὸ τροχαϊκῆς συζυγίας ἀντὶ τοῦ ἀπ' ἐλ. ἰων.*: – ⏑ – –, – ⏑ ⏑ –, ⏑ ⏑ – ⋀. 2) Ibid. v. 5 in *ἤδη ὑψιφανῆ* (A pr.) *ἠδ' ὑψ.* inesse vid., id est – – ⏑ –, – ⏑ ⏑ – pro – – ⏑ ⏑, – ⏑ ⏑ –. Facile autem *ἴδ'* pro *ἠδ'* rescripseris. Confer quod incertiore ratione VIII, 57 nunc restitui: *τοῦδε σωτῆρα πέδον*, = – ⏑ – – – ⏑ – aliarum stropharum.

tatem stropharum restituere (sunt autem hae tantum duae servatae); sed necessitatem non video.[1]) Alia mixta forma haec est: – – ⏑ ⏑, – – ⏑ –, ut in quinti carminis epodorum parte maiore (*α′ οὕτω καὶ ἐμοὶ μυρία, β′ τὸν δ’ ὡς ἴδεν Ἀλκμήνιος, γ′ τῶι δὲ στυγερὰν δῆριν Ἑλ-*); in duabus enim forma pura est (*δ′ Πλευρῶνα· μίνυνθα δέ μοι, ε′ Βοιωτὸς ἀνὴρ τάδε φω-*). Non dissimile apud Pindarum (N. XI, str. 5; cf. ep. 4[b]) *οἵ σε γεραίροντες ὀρ(θὰν)*, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ – Λ, pro – ⏑ ⏑ –, ⏑ ⏑ – Λ̄. Sed nondum formarum varietatem exhausimus. Pedes sive syzygiae ex quibus dimeter constat etiam inverti possunt: ⏑ ⏑ – –, – ⏑ ⏑ –, sive (quod eodem redit) tetrametri media pars pro dimetro sumi: (– ⏑ ⏑ –) ⏑ ⏑ – – – ⏑ ⏑ – (⏑ ⏑ – –). Ita Bacch. I str. 1. 2: *Διὸς Εὐκλεί,ου δὲ ἕκα,|τι βαθύζω,νον κόραν*[2]) acatalectum tale membrum cum calalectico copulavit, quae in libro nostro male divisa sunt, ultima secundi pedis syllaba membro secundo addita. Sed ut quidem videtur non constanter; nam in primis eius carminis fragmentis verior divisio identidem comparet. Pindaricum simile exemplum est in Pythico carmine I (ep. 8): *νιφόεσσ’ Αἴ,τνα πάνετες.* Vel ditrochaeus priorem sedem occupat: Bacch. X str. 7 *-σίν τε καὶ θνατοῖς ἀρετᾶς*[3]), Pind. N. XI str. 5[b] (*ὀρ*)*θὰν φυλάσσοι,σιν Τένεδον*, vel alteram: Ol. VII str. 1 *φιάλαν ὡς, εἴ τις ἀφνει(ᾶς)*, qua forma Bacchylides in I. semel bisve pro ⏑ ⏑ – –, – ⏑ ⏑ – usus esse videtur[4]), vel diiambus priorem: *μειχθέντα πολ,λῶν ἐπέβαν* (N. I ep. 4). Denique catalexis etiam intra membrum admittitur. Ita fit vel – ⏑ ⊔, – ⏑ – (–), vel ⏑ ⏑ ⊔, ⏒ ⏑ – (–), verum rarius apud Bacchylidem quam apud Pindarum. Illius haec sunt exempla: V str. α′ v. 8 *δεῦρ’ ἄθρησον νόωι,* sed in ceteris omnibus vel – ⏑ – ⏑ – ⏑ – vel – ⏑ – – – ⏑ –; itaque Britannus editor ⟨*σὺν*⟩ *νόῳ* scripsit, quamvis sit insuavis praepositio repetita;

---

1) Cf. XIV, 13 – ⏕ –] *σὺν θεοῖς* pro – ⏕ – ⏕ – quod in aliis strophis est (agnovit hoc primus O. Schröder). 2) Cf. etiam VII, 45 *-νᾰς ἐν ἅλῐκι χρόνῳ.* Brevis ibi quarta syllaba non habet quod offendat; v. Pind. P. IX str. 1. 3. 3) Cf. XIII, ep. 3; frg. 33. 14. 4) V. I, 9. 170.

sequitur enim *ᾗ σὺν Χαρίτεσσι.* Tum in carminis VII v. 51 *γλαυκὸν Αἰτωλίδος*, cui membro non exstat quod respondeat, et in IX str. 5 v. 15 *ὅσσα νίκας ἕκατι*, sed ter praeterea interposita syllaba longa, quam hunc quoque in versum facili ratione introduxerunt viri docti: *ὁσσάκις νίκας ἕκατι.* Ibidem autem est proximus versus: *ἄνθεσι ξανθὰν ἀναδησάμενος κεφαλάν*, quae una est quae videatur tetrapodia dactylica apud hunc poetam. Nam apud Pindarum ea forma non ita raro reperitur, cuius veram naturam optime perspicias ex his Ol. VIII. versibus (5 sq.): *μαιομένων μεγάλαν* | *ἀρετὰν θυμῷ λαβεῖν.* Ibi enim in partes veras discesserunt, quae alibi coniuncta tetrapodiae speciem falsam praebent, ut in N. I str. 6 *αἶνον ἀελλοπόδων, μέγαν ἵππων Ζηνὸς Αἰτναίου χάριν*; scilicet catalexis vel *συζυγία* (ita enim vocasse videtur Aristoxenus temporum binorum alias separatorum coniunctionem)[1]) est in syllabis -*δων* (⊔), -*λαν* (vel ⊔ vel – Λ̄); itaque apud Bacchylidem quoque et in -*νος* et in -*λάν*: – ⏑ – –, – ⏑ ⏑ –, ⏑ ⏑ ⊔, ⏑ ⏑ ⊔ (vel ⏑ ⏑ – Λ̄). Denique ultimus strophae α′ versus est: *νασιῶτιν ἐκίνησεν λιγύφθογγον μέλισσαν*, cui in str. β′ ant. β′ (nam lacunosa est ant. α′) hi respondent: *τεύξεται· μυρίαι δ' ἀνδρῶν ἐπιστᾶμαι πέλονται; ἄνδρα πολλῶν ὑπ' ἀνθρώπων πολυζήλωτον ἔμμεν.* Itaque nisi corruptela est in str. α′, hanc habemus formam: – ⏑ ⊔, ⏓ ⏑ – – – ⏑ – –, – ⏑ – –.

De dimetris hactenus; Pindaricas enim reliquas formas hoc loco exsequi nihil opus est. Trimetrorum consentaneum est multo plures formas esse, sed praecipuae hae sunt:

---

1) Verba sunt in frg. Oxyrhynchensi (III, 18 sq.) de numeris quibusdam formam habentibus └–, ⏑ –, ⏑ –, ⏑ – | └–, ⏑ –, ⏑ –, ⏑ – | └–, et sic porro: *τρεῖς γὰρ πόδας διαλείπουσιν αἱ ξυζυγίαι, ὥστε περιοδῶδές τι γίγνεσθαι* (id est simile aliquid 'periodi' – ⏑, ⏑ –, ⏑ –, ⏑ –). Neque enim licet vocabuli *συζυγία* sensum vulgarem, quo binorum pedum dissimilium coniunctionem designat, hic statuere: quod cum facere studeat C. von Jan (Philolog. Wochenschrift 1899 nr. 15 p. 478), verba tradita repugnantia habet et vim eis vel interpretando vel mutando adhibere cogitur.

(–) – ∪ – – – ∪ ∪ – ∪ ∪ – (–), (–) – ∪ ∪ – ∪ ∪ – – – ∪ – (–),
(–) – ∪ – – – ∪ – – – ∪ – (–).

Utinam aliquando dicere possimus de his numeris: *σφῦραν ἐξέβαλεν προκόπτας*! Nam incredibile est dictu, quantopere in eis procudendis collidendis viri docti desudaverint, dum vel dactylos trochaeosque inter se exaequare student, vel tripodias dipodiasque, vel denique dimetros et trimetros, adeo ut fuerint qui perhiberent in Pindarico hoc (Ol. III, 3 sq.): *-σαις ἀκαμαντοπόδων* | *ἵπ-* unam syllabam *-δων* cum tempore inani totidem temporum esse quot sex syllabas antecedentes, rursusque *ἵπ-* quot septem. Etsi ipse quoque non nego malleolo aliquo in his numeris opus esse; nam si breves omnes sunt singulorum temporum, longae autem binorum, pedes exsistent modo senorum, quae est legitima mensura, modo quinorum (∪ – ∪ ∪), modo septenorum (– ∪ – – vel – – ∪ –). Sed succurrent *ἄλογοι*, sicut in iambico trochaicoque genere, quarum natura atque usus fortasse aliquando magis patebit quam adhuc patet. Mihi autem nunc non eas res extricandas esse duco, sed de hoc poeta disserendum, cuius vidimus quandam licentiam in his numeris struendis, aliis strophis aliam formam exhibentibus, quatenus autem ea licentia extendatur, nondum vidimus. Itaque primum breves arses pro longis non ita multas poeta admisit, etsi carmina singula differunt. Paene nullae arses correptae intra membra in I. esse videntur[1]), neque in VIII ulla certo comparet[2]); paucae in IX. XIII. XIV, paullo plures in V. X; magis autem abundant in XII et III, cuius carminis epodus, etsi non stropha, enhopliis numeris composita est. Videmus autem in trimetris ei correptioni facilius saepiusque locum dari

---

1) In commissura membrorum in periodum coniunctorum est syllaba anceps ep. v. 3, 180, si quidem recte *τί μάν* neque *τιμάν* ibi legitur; v. autem supra p. XIII; item de *κερβολοῖ* *-όλλοι* 144. Certum correptionis exemplum est 171; accessit nunc *εὐναῆ* 76, de cuius mensura dubitari potest: *νᾰω*, *νάω*, *καλλίνᾰος*, *νᾶμα*. 2) Idem *εὐναεῖ* est v. 42; tum *εὐθαλές* v. 5; v. p. XLIII adn.

quam in dimetris. At theses in binas breves dissolutae fere in solo carmine III. reperiuntur, in quo epodus ϛ′ habet versum quintum hac forma: ⏑ ⏑ ⏑ – – – ⏑ – – – ⏑ – (*ὅσια δρῶν εὔφραινε θῦμον· τοῦτο γὰρ*), et *γ′* quartum hac: ⏓ – ⏑ ⏑ ⏑ – – (*Ἀλυάττα*) ⏑ –.[1]) Multo minus pro – – ⏑ – tolerari potest ⏑ ⏑ – ⏑ –, quod traditur XII, 128, sed facillime corrigitur. Summa igitur in his rebus fuisse videtur huius poetae severitas. Idem vero, si ulla libro nostro fides, alias graviores inter strophas suas differentias aequo animo admisit, quarum similes apud Pindarum a plerisque non agnoscuntur, quamvis ne ab eius quidem libris plane absint. Et tolerat nunc Christius *-σιν πόθον ἔνδαιεν Ἥρα* pro – ⏑ – – – ⏑ – – P. IV, 184, item *σάμερον ἐλθεῖν ἐν ὥρᾱι* Ol. VI, 28, *γυιαρκέος Ἀσκλαπιόν* P. III, 6, thesis vi productionem ibi effectam esse statuens, quam certe explicationem nullo modo probare possum.[2]) Apud Bacchylidem nulla sunt similis maiorisve licentiae exempla in his carminibus: (III epod.) (VIII.) XII. Contra maxime ea abundant in V: nam praeterquam quod syllaba deest in str. v. 8 et – ⏑ ⏑ – est pro – – ⏑ – bis in epodi v. 1, undecimum quoque et paenultimum strophae membrum modo septenas syllabas habent, modo octonas: (14 str. *α′*) *-νὸς θεράπων. ἐθέλει δέ,* (28 ant. *α′*) *-αῖσιν ἔθειραν ἀρί-γνω-*, at (str. *β′* 54) *γάρ τις ἐπιχθονίων*, (ant. *β′* 69), *-λον θρασυμέμνονος ἐγ-*, et sic porro per reliquas, dempta semper extrema syllaba, similiterque in undecimis membris.[3]) Et poterat profecto eadem syllaba per duos sonos musicos continuari: nisi quidem cum syllaba etiam sonus deficiebat, ut vel extendendus esset proximus prior vel silentium exsisteret, quo etiam anceps syllaba excusaretur. In hoc enim ipso paenultimo membro ultimae antistrophae est

---

1) V. tamen praeterea I, 37. 2) Alia exempla liberae responsionis ex Pindaro addidit O. Schröder (Berl. philol. Wochenschrift 1898 Nr. 11. 28): Ol. III, 35 – ⏑ ⏑ – pro – ⏑ – –. VI, 100 (*λιπόντ’*; item). P. IV, 118 (item). I. III (IV), 66 (it.; *πὰν*). IV (V), 41 (– ⏑ – – pro ⏑ ⏑ – –), ut omittam quae nimis dubia videntur. 3) De versibus antistr. *α′* cf. supra p. XII sq.

ἀπωσάμενον illud v. 189, de quo supra (p. XXXI) disserui. Sani igitur critici esse puto omnibus his locis, nisi ubi suadet vel sensus vel grammatica (quod in solam antistropham α′ cadere videtur), mutationibus sive facilibus sive difficilibus abstinere, neque minus in epodi versu ultimo, qui semel (v. 160) ab ionico incipit τάδ' ἔφα θνα-, cum in ceteris epodis sit epitritus. Video de hoc loco etiam magis quam de ceteris dubitari posse, cum in ipso libro ibi correctum sit: τοιδεφα enim primo fuit, quod facili ratione in τοῖα (τοῖ') ἔφα mutavit cum aliis Arthurius Ludwich. Equidem eam emendationem reciperem, si τοῖα ἔφα ante orationem aliquam vel apud hunc poetam vel apud Pindarum legeretur. Sed nusquam legitur, neque exstat apud eos vel τοῖος vel τόσος nisi ad priora relatum, cum τάδε ante orationem statim ibidem recurrat v. 191. At si huic carmini ea licentia conceditur, non habemus cur ceteris eandem denegemus. Exstat autem in I. ep. v. 3 et haec forma (ζ′, 157) θῆκεν ἀντ' εὐ,εργεσιᾶν, λιπαρῶν τ' ἄλ-, et altera haec (η′, 180): ὅσσον ἂν ζώ,ηι χρόνον τόνδ', ἔλαχεν τί, id est modo ditrochaeus modo ionicus, sicut in V. v. 160; item ibidem ut videtur str. v. 1 (ant. α′, v. 9) ⏑⏑ –] νάσοιό τ' Εὔξαν– pro ⏑⏑ – –, – ⏑ ⏑ –, id est pro choriambo ditrochaeus, ut iam offensionem non habeat quod in eadem sede charta praebet (170) -ρίς τε νούσων, quamvis facile νόσων reponatur.[1]) Toleremus igitur has quoque differentias; item in nono duas quas iam notavi, et singulas in decimo tertio, decimo, decimo quarto (v. p. XXXI. XXXVII sq.). Quibus denique accedit ionicus pro ditrochaeo in fragmento a veteribus servato; v. frg. 4, 9 ἀραχνᾶν ἰ-, at παιδικοί θ' ὕ- 17. Neque vero desunt in reliquis carminibus, quae diverso numerorum genere scripta sunt, similis licentiae exempla, de quibus infra dicendum est.

Pauca de enhopliis Bacchylidis numeris addo. Egregie confirmata est R. Westphalii antiqua observatio, a Bac-

---

1) Adde I, 144, ubi ex restitutione mea est – ⏑ ⏑ – pro – – ⏑ – (nisi ϝ littera productio fit).

chylide non magis quam a Pindaro adhibitam esse clausulam harum stropharum ithyphallicam (– ⏑ – ⏑ – –), quae et apud Euripidem Aeschylumque et apud ipsum Cei poetae avunculum Simonidem frequens usurpatur. Ex aliis autem numerorum generibus petita membra et a Pindaro et a Bacchylide enhopliis raro admixta sunt. Semel esse videtur apud hunc pherecrateus sive glyconeus catalecticus, XII str. 3: – ⏓ – ⏑ ⏑ – ⏓, quo etiam Pindarus usus est in N. VIII str. 1: *ὥρα πότνια κᾶρυξ* | *Ἀφροδίτας ἀμβροσιᾶν φιλοτάτων*. Incipit id membrum plerumque a spondeo, sed fortasse unum trochaei exemplum apud Bacchylidem exstat[1]), sicut certe exstat apud Pindarum. Video tamen non posse nimis vehementer repugnari Wilamowitzio, qui – – –, ⏖ – – apud Bacchylidem pro alia enhoplii forma habet; licentiam enim duas breves in unam longam cogendi et Euripides sibi sumpsit et Philoxenus, etsi antiquiores plane ea abstinuisse videntur.

Antequam ad alterum numerorum genus definitum atque certum transeamus, dicendum est de quibusdam strophis, quarum numeri enhopliis similes atque affines sunt. Primum igitur carmen XIX (*Ἴδας*), cuius supersunt in pagina XLV undecim versuum initia, id habet notabile, quod hi quidem omnes ab ⏓ – ⏑ ⏑ (– ⏑) incipiunt, quod ut admonet enhoplii generis, ita ab eiusmodi stropharum compositione valde abhorret. Tum v. 8 septimam syllabam longam habuit: *ἀναξίαλος Ποσει-*, ut exsistat numerus non enhoplius, sed prosodiacus talis quali Aristophanes utitur, velut in Avium carmine item nuptiali (v. 1731 sqq.): *Ἥρᾳ ποτ' Ὀλυμπίᾳ*. Verum is Bacchylidis versus certe plus una syllaba longior fuit. Sed missis his reliquiis nimis laceris, ad XVIII (*Ἰώ*) convertamur. Eius carminis epodus tota incidit in pag. XLV, suntque eius versus praeter unum breviusculum et fortasse paucos alios non minus truncati quam undevigesimi; sed stropha XVIII

1) *Πανθαλέων στεφάνοισιν* XII, 69; cf. *πανθᾰλής* ibd. 229; sed *εὐθᾰλές* sive potius *εὐθᾱλές* VIII, 5, it. Pind. P. IX, 72; *ἐριθηλής*.

versuum integra superest. Haec igitur sunt eius quasi elementa principalia: iambicus dimeter acatalectus, tum eiusdem forma catalectica ab enhopliis prorsus aliena, dein enhoplius ⏓ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –, cui semel paenultima syllaba in modum prosodiacorum Aristophaneorum detracta reperitur, v. 5 *ἰοβλέφαροί τε καί*. Credas in talibus versibus alteram syllabam *τρίσημον* sive *τετράσημον* fuisse: – ⊔ ⏑, ⏑ – ⏑ – vel ⏑ ⊔ ⏑, ⏑ – ⏑ –, et est argumento quod metricus quidam non nimis recens, cuius reliquiae lacerae in Oxyrhynchensium chartarum volumine altero edentur, Praxillei metri huius: ⏒ – ⏖ – ⏑ – ⏑ – – (*πλήρης μὲν ἐφαίνετ' ἁ σελάνα*) pedem primum tertia syllaba terminat: ⏓ – ⏑, ⏑ – ⏑ –, ⏑ – –. Aut non altera sed quinta *τρίσημος* erit facienda: – – ⏑ ⏑, ⊢ ⏑ –, componendaque haec forma cum iambica hac: ⏑ – ⏑ –, ⊢ ⏑ –, ut altera – – ⏖, – ⏖ – cum ⏑ – ⏑ –, ⏑ – ⏑ –. Iambi autem carminis XVIII. omnes puri sunt, neque exstat spondeus nisi in epodi v. 5: *Ἰὼ φέρουσα παῖδα* .... Praeterea est versus ex choriambo et diiambo constans (9), et alter prosodiacus bacchio auctus, id est Praxilleus qualem dixi (11), tertiusque choriambico illi par, sed ante choriambum habens vel trochaeum vel iambum (15); denique hi totam stropham claudentes: – – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – (= VI, 4 + 5) | – ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ –, qui sicut quintus decimus in senorum temporum pedes non facile describuntur. His ultimis neglectis, in ceteris autem membrorum divisione paullum mutata exsistent hae periodi vel binorum membrorum vel ternorum vel quaternorum, sed omnes in ⏑ – ⏑ –, ⏑ – ⊔ vel ⏒ – ⏑ –, ⏑ – ⏑ – exeuntes: (1—4) ⏑ – ⏑ –, ⏑ – ⏑ – | ⏑ ⊢ ⏑ ⏑, – ⏑ ⏑ – | ⏑ ⊢ ⏑ ⏑, – ⏑ ⏑ – | ⏑ – ⏑ –, ⏑ – ⊔ ||; (5—7) ⏑ ⊔ ⏑, ⏑ — ⏑ – | ⏑ ⊢ ⏑ ⏑, – ⏑ ⏑ – | ⏑ – ⏑ –, ⏑ – ⊔ ||; (8—10) – – ⏑ ⏑, – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⏑ – | ⏑ – ⏑ –, ⏑ – ⊔ ||; (11—12) – ⊢ ⏑, ⏑ — ⏑ –, ⏑ – ⊢ | ⏑ – ⏑ –, ⏑ – ⏑ – ||; (13—14) ⏑ ⊢ ⏑ ⏑, – ⏑ ⏑ – | ⏑ – ⏑ –, ⏑ – ⏑ – ||; (15—16) ⏑̄ ⏓, – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – | ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⊔ ||. Hoc igitur est rimari quod numquam plene atque absolute sis intellecturus, donec magister peritus ex Orco exstiterit. De epodo autem profecto tacere praestat.

Tertii quoque carminis stropha numeros habet non multum dissimiles. Ea incipit a trimetro iambico catalectico, quem excipit versus item undecim syllabarum, sed forma distans perinde atque ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – distat a ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –; prior enim harum formarum, bacchio in fine addito, hunc versum efficit. Sed pro bacchio in ant. ζ′ (v. 90) est anapaestus: ἥβαν· ἀρετῆς γε μὲν οὐ μινύθει. Toleremus hoc quoque; nempe etiam in Alcmanis stropha ultimus versus modo in hanc modo in illam formam desinit; est autem idem is versus atque hic de quo agimus, nisi quod huic una syllaba in principio accessit: ⏓ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏒ ⏓. Tertius strophae est eiusdem mensurae, nisi quod (ut iam supra p. XXXI vidimus) neque anceps est ultima, sed semper brevis, et συνάφεια est usque ad quarti versus syllabam quintam: ⏒ – ⏑ ⏑, – ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ ⏒. Eo autem loco hiatus bis admittitur, semel quidem (v. 64) antecedente trochaeo pro iambo: ὦ μεγαίνητε Ἱέρων· σὺ δ' ὄλβον, sicut in alia stropha (v. 18) spondeus ibidem reperitur: ὑψιδαιδάλτων τριπόδων σταθέντων. Facile scribitur et μεγαίνετε (quippe haec composita apud hos poetas vel in -ητος vel in -ετος exeunt, ut est εὐαίνετε XVIII, 12) et ὑψιδαιδάλων; sed manum nunc quidem abstinui. Eodem loco vocabulum semper finitur, ut silentio hiatus videatur excusari. Ceterum eadem forma huius versus atque hendecasyllabi Sapphici, qui habebat teste Augustino tertiam τρίσημον. Facile Bacchylideos versus in pedes senorum temporum redigimus: – – ⏑ ⏑, – ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⏑ | –, ⏑ – ⏑ – (⏑ – – ⏓), Λ̄ ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⊔; sive (cum mirum sit pro ⏑ – ⏑ – nusquam esse – – ⏑ –, sicut est in primo versu strophae): – – ⏑ ⏑, – ⏑ ⏑ –, ⏑ ⊔ ⏑ (= ⏓ – ⏑ ⏑), – ⏑ – ⏓, ⏒ Λ̄ ⏑ ⏑, – ⏑ – ⏑, quamquam sic quoque quaeritur cur numquam pro ⏑ ⊔ ⏑ adhibitum sit – ⊔ ⏑. Fateamur ignorantiam nostram.

Itaque pars horum carminum longe maior (utique si etiam ambitus rationem habeas) iam utcunque potuimus explicata est: I. V. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV; III. XIX. XX. Item maior pars fragmentorum quae apud

veteres servata sunt; numerus enim enhoplius in his comparet: 1. 2. 4 (strophae integrae) 13. 14. 18. 20. (strophae integrae). 22. 24. 25. (26.) 28. 30. 33. 34. (35.) (36.) 37, neque reliqua pleraque in censum veniunt, quippe ubi non ipsa poetae verba tradita sint. Secundum autem dignitate numerorum genus idem est quod apud Pindarum quoque secundum locum obtinet: *Ἄριστον μὲν ὕδωρ, ὁ δὲ χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ.* Nisi quod haec intersunt inter utrumque poetam: primum quod apud Bacchylidem simpliciora facilioraque omnia, sicut in enhopliis; deinde quod Pindarus eo genere etiam in maioribus epiniciis usus est, Ceus contra poeta in minimis dumtaxat, quae sunt II. IV. VI. Accedit tamen e dithyrambis carmen XVII (*Θησεύς*) quattuor strophis compositum, fragmenta autem tria e paeanibus (5) prosodiisque (11 sq.), quorum unum (11) paullo maioris ambitus. Hoc igitur genus a plerisque nunc pessima appellatione logaoedicum vocatur, quae appellatio inter Lesbios poetas orta ab origine dactylos illos designabat a bisyllabo pede cuiuscunque mensurae incipientes (*ἠράμαν μὲν ἔγω σέθεν Ἄτθι πάλαι πότα*)[1]; quippe erat in eis et *λόγος* (*ἠρά-*) et inde a tertia syllaba *ἀοίδα*; tum a metricis ad eos versus est traducta, quae post dactylos vel anapaestos trochaeos iambosve haberent. Sed in *ἄριστον μὲν ὕδωρ ὁ δὲ* nullus est dactylus, sed iambi trochaeique coniuncti: quam opinionem et Henricus Weil cum Francisco Susemihl contra Westphalium constanter tenuit et Argentoratensi dissertatione defendit ex Studemundi disciplina profectus I. Luthmer[2]) et Wilamowitzius identidem professus est. Pusillum enim interest, utrum sic dividas: *ἄρι-στον μὲν-ὕδωρ-ὁ δὲ*, an sic: *ἄριστον μὲν-ὕδωρ ὁ δὲ*, an denique sic: *ἄριστον μὲν ὕδωρ-ὁ δὲ*. *Περιόδους* sive *συνθέτους κατὰ περίοδον δωδεκασήμους* haec cognataque omnia cola vocata esse et Aristides Quintilianus testatur (p. 37 sq. Meib.)

---

1) Aristid. Quintil. p. 51 sq. 2) I. Luthmer, de choriambo et ionico a minore diiambi loco positis, Argentor. 1885.

et saepissime scholia Pindarica; reditur enim a trochaeis immixtis ad iambos vel contra, utique in longiore eorum colorum continuatione; quare etiam in Aristoxeni fragmentis Oxyrhynchensibus *περιοδῶδές τι* vocatur, ubi a syllaba *τρισήμῳ* (quasi trochaei locum obtinente) numerus profectus post ternos iambos ad eadem redit.[1] Colon *ἄριστον μὲν ὕδωρ ὁ δὲ* ab Aristide et in scholiis vocatur *ἴαμβος ἀπὸ βακχείου*, i. e. colon iambicum ab antispasto incipiens, ab illo praeterea *μέσος βακχεῖος*, i. e. choriambus singulis iambis interpositus; nempe et antispastus et choriambus et ionici antiquis musicis *βακχεῖοι* audiebant. Inde nomen *bacchiacorum*, quod metricis latinis testibus[2]) et choriambicis et glyconeis antiquitus tribuebatur, neque aptiore nomine omne id genus de quo nunc agimus complectemur, quam *τὸ κατὰ βακχεῖον εἶδος* appellantes, quo fere Aristoxenus quoque usus esse videtur.[3])

Itaque Bacchylidis carmen secundum, quod inter omnia simplicissimos numeros habet, e *δωδεκασήμοις* praeter primum stropharum versum constat; sunt autem hae formae: – ⏑, ⏑ ⏖, – ⏑, ⏑ – (*διπλοῦς βακχεῖος ἀπὸ τροχαίου* = duplex choriambus[4])) str. 2; ⏑ –, ⏑ –, – ⏑, ⏑ – (*βακχεῖος ἀπὸ ἰάμβου*, = choriambus antepositis duobus iambis) str. 3. ep. 1. 2; ⏑ ⏖, – ⏑, ⏑ –, ⏑ – (*ἴαμβος ἀπὸ βακχείου*) str. 4 ep. 3; – ⏑, – ⏑, ⏑ –, ⊔ (catal.; *διπλοῦς τροχαῖος καὶ διπλοῦς ἴαμβος*[5])) str. 5; denique – –, – ⏑, ⏑ –, ⊔ ep. 4, ubi spondeus est in principio vel pro iambo vel potius pro trochaeo. Nempe in XVII. talia membra in alia stropha a trochaeo initium capiunt, in alia a

---

1) V. supr. p. XXXIX, 1. 2) Marius Victor. p. 127, 25. 149, 32. Caesius Bassus 259, 2. 263, 23. 268, 21. 3) *Τοῦ βακχείου* est de choriambo in frg. Oxyrhynchensi (col. III, 12) anteceditque ibidem (v. 1) de eodem numero [*τὸ κατὰ βακχεῖον καλούμε*]*νον εἶδος*. 4) Omittit hanc formam Aristides, nomen autem eius in aliam transfert, v. adn. 5. 5) V. schol. Pind. p. 156. 377. 449 B. (*διπλ. τροχ.*; sed addendum *καὶ διπλ. ἴαμβος*, v. p. 110 de Ol. 4 ep. 8 *διπλοῦς ἴαμβος καὶ διπλ. τροχ.*, ⏑ – ⏑ – – ⏑ – ⏑). Male dicitur apud Arist. *ἁπλοῦς* (*διπλοῦς* sec. Marcian. Cap.) *βακχεῖος ἀπὸ τροχαίου* (– ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –).

spondeo: ἤ τις ἁμετέρας χθονὸς = κηΰτυκτον κυνέαν Λάκαι-. Tribrachys quoque (str. 4) anticipitem interpretationem admittit. Primus autem strophae versus ὀκτωκαιδεκάσημος est, nempe βακχεῖος ἀπὸ ἰάμβου auctus clausula diiambi catalectici: ⏑ – ⏑ – – ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⊔. Is versus per se effertur; reliqua quattuor membra strophae in unam periodum coniuncta sunt, sicut fortasse etiam quattuor epodi, quibus illa quattuor quasi repetuntur.[1]) Inaequalitas in eo conspicitur, quod catalectico membro strophae huic: ὅτι μάχας θρασύχειρ Ἀρ- in antistropha respondet acatalectum: -σον ἐπεδείξαμεν ἑβδομή-; sed puto recte θρασύχειρος coniectum esse, ipso sensu commendatum.

Quartum carmen, quod sicut sextum et XVII. nullam habet epodum, primum bis hypercatalectam periodum exhibet: ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – –, tum eam quae μέσος τροχαῖος vocatur (⏑ –, – ⏑, – ⏑, ⏑ –) clausula ⏑ – – auctam, dein hunc ipsum ὀκτωκαιδεκάσημον addito insuper in fine iambo, ut iam sint duo membra, quamvis uno versu scripta. Praeterea ex alio genere numerorum tria membra dactylica immixta sunt; grandius igitur aliquid haec stropha sonat.[2])

Sexti stropha ab iambico dimetro catalectico incipit, quem sequitur anacreonteus ἀνακλώμενος et ipse ab horum numerorum societate minime alienus: (–) ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – (–). Coniunctio eadem apud Sapphonem est: Γλύκεια μᾶτερ οὔτοι | δύναμαι κρέκην τὸν ἴστον.[3]) Tum ὀκτωκαιδεκάσημος – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⊔, dein duo cola quorum natura mensuraque obscurior est: ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ – ⏑ –; coniuncta eadem repperimus in XVIII str. v. 18. Reliqua facilia intellectu.

Denique septimi decimi stropha e quindecim membris componitur, ex quibus octavum et ultimum sui iuris sunt, reliqua bifariam sive trifariam coniuncta periodos sex efficiunt. Sunt δωδεκάσημοι formae – ⏑̄ – ⏑ ⏑ – ⏑ –, sive

1) Wilamowitz Gött. Gel. Anz. 1898, p. 150. 2) Idem 150 s. 3) Idem 151.

ὀκτωκαιδεκάσημοι adiecta dipodia iambica vel integra [1]) vel catalectica, atque non minus ter *δωδεκάσημος* cum *ὀκτωκαιδεκασήμωι* in unam periodum coit, perinde atque in Sophoclis carmine clarissimo: *εὐίππου ξένε τᾶσδε χώρας ἵκου τὰ κράτιστα γᾶς ἔπαυλα*, rursusque ibidem: *χειμώνων ἵν' ὁ βακχιώτας ἀεὶ Διόνυσος ἐμβατεύει.* In qua coniunctione id valde notabile est, quod et apud Sophoclem semper in stropha antistrophaque et paene semper apud Bacchylidem caesura est post primam syllabam alterius membri, unde in libro nostro neque minus in Sophoclis Laurentiano ea syllaba priori membro adscripta est. [2]) Etiam ubi *δωδεκάσημοι* bini consociantur, idem plerumque usu venit: *ποιμένων ἀέκατι μήλων σεύοντ' ἀγέλας βίαι*, ut apud Sophoclem: *θαμίζουσα μάλιστ' ἀηδὼν χλωραῖς ὑπὸ βάσσαις.* Est autem apud Bacchylidem notabilis *δωδεκασήμου* forma _ ⏑̄ _ ⏑ _ ⏑ _, bis periodos claudens, quam ne pro puris iambis (⌞_, ⏑ _, ⏑ _, ⏑ _) trochaeisve habeamus obstat alterius syllabae productio: *-ου σεισίχθονος τέκος* (22). Itaque aut _ ⏑̲, _ ⏑, _ ⏑, _⌟ est, scilicet pro _ ⏑̲, _ ⏑, _ ⏑, ⏑ _, aut quod magis putaverim (quoniam quidem integra illa forma non occurrit) _ ⏑̲, ⌞_, ⏑ _, ⏑ _, *συζυγίᾱι* (v. supra p. XXXIX) pro trochaeo posita, qui secundum Aristoxenum facilius in unam syllabam coit quam iambus. [3]) Quod autem similiter atque in II. uno loco tres strophae habent membrum integrum, catalecticum una, merito libro nostro vitio vertetur, cum in verbis quoque ipsis offensio sit (v. v. 35). Verum rem maxime miram nondum attigi. Aeschylus Aristophaneus postquam Euri-

---

1) Ita efficitur (ibd. 152) versus Alcaeo usitatus: *μαρμαίρει δὲ μέγας δόμος χάλκωι, παῖσα δ' Ἄρηι κεκόσμηται στέγα.* 2) Eam rem sollerter etiam per alia numerorum genera persecutus est H. Weil (v. infra p. LXXIII), nunc plus quam octogenarius, quocum viro rhythmicae metricaeque artis inter paucos perito valde gaudeo mihi de plerisque rebus egregie convenire. V. et. Christ Ber. d. Münch. Akad. 1871, 636 sqq. 3) Verba sunt in frg. Oxyrhynchensi (III, 12 sqq.): *τὸ γὰρ μονόχρονον* (tempora duo quae alias discreta sunt in unum coniuncta) *οἰκειότερον τοῦ τροχαίου ἢ τοῦ ἰάμβου.*

pidis versiculum hunc recitavit: *περίβαλλ' ὦ τέκνον ὠλένας* (Ran. 1322), Dionysum interrogat: *ὁρᾷς τὸν πόδα τοῦτον;* notat igitur eum numerum (*πόδα*) ut vitiosum. Atque cum anapaestus sit in principio pro iambo, tempora sunt non XII sed XIIII. Quid igitur dicemus, cum videamus Bacchylidem ab hoc numero incipientem: *βασιλεῦ τᾶν ἱερᾶν Ἀθα-*, eumque per ceteras strophas constanter servantem? An *κύκλιον ἄλογον* pedem primum dicemus, non verum anapaestum? Sed cur Bacchylides et Euripides eo pede usi sunt, ceteri eum repudiaverunt? Ego profecto nescio.

Non inutile est addere de horum numerorum ictibus quae explorari possunt, maxime ope insignis inscriptionis Trallianae, in qua Sicili (*Σεικιλος*) cantilena cum notis musicis rhythmicisque exarata est. Summa cura eam nuper rursus edidit Theodorus Reinach[1]); idem tamen non minus quam O. Crusius, cuius est praecipuum in hac cantilena in usum vocanda meritum[2]), circa unam quandam rem in errorem gravem implicatus est. Contra recte de eadem re primus iudicavit Fridericus Hanssen.[3]) Quod dico hoc est. Dipodia iambica et acatalectos et catalectica, item choriambus in altera parte punctis notatae conspiciuntur: ⏑ ⏑ ⏑ ⏑̇ –̇, ⏑ – ⏗, – ⏑ ⏑̇ –̇. Itaque Crusius et Reinach hanc partem ictum habuisse concludunt, loco Anonymi Bellermanniani, qui unus de his punctis aliquid docet, praeeunte Westphalio aut spreto aut per interpretationem violentam detorto. *Ἡ μὲν οὖν θέσις*, ait ille, *σημαίνεται ὅταν ἁπλῶς τὸ σημεῖον ἄστικτον ᾖ, οἷον ⊢, ἡ δὲ ἄρσις ὅταν ἐστιγμένον, ⟨οἷον ⊢̇⟩*. Quid *θέσις* sit, quid *ἄρσις* apud musicos rhythmicosque, minime dubium est, et rectissime Hanssen arguit mirari non oportere, quod debiliorem partem notaverint, non fortiorem: quippe in *οβριμόδερκει*, quod apud Bacchylidem invenimus (p. IX), simillimum aliquid factum est. Sed vide quam apprime omnia quae

1) Bulletin de correspondance hellénique XVIII, 365.
2) O. Crusius Philolog. L, 163. 576, LII, 160 sqq.
3) Sobre un trozo de música griega, Anales de la Univers. de Santiago de Chile, 1893.

tradita habemus inter se conveniant et congruant. *Δάκτυλος κατὰ ἴαμβον*, id est diiambus, apud Aristidem Quintilianum (p. 39) constare dicitur *ἐξ ἰάμβου θέσεως καὶ ἰάμβου ἄρσεως*; item *δάκτυλος κατὰ βακχεῖον τὸν ἀπὸ τροχαίου*, id est choriambus, *ἐκ τροχαίου θέσεως καὶ ἰάμβου ἄρσεως*; priorem igitur locum in utroque pede habet *θέσις*, alterum *ἄρσις*. *Ἄρσιν* puncta recipere testatur anonymus. Altera pars horum ipsorum pedum, id est arsis, habet puncta in inscriptione Sicili. Quid amplius quaerimus? An ideo dubitabimus, quod in trimetris iambicis secundae partes dipodiarum feriebantur, non priores? Sed quid commune est trimetris iambicis cum *δακτύλοις κατὰ ἴαμβον*? Melici hi sunt numeri, non metrici, neque quicquam obstat quominus diversam et contrariam rationem ictuum in utroque genere fuisse putemus. Notabile autem in Sicili cantilena id quoque, quod in catalectica diiambi forma ultima syllaba, non paenultima, ut *τρίσημος* notata est; itaque et inscriptionis et Aristoxeni auctoritatem in notando ipse quoque haud cunctanter secutus sum.

Sed bene nobiscum actum esset, si iam nihil restaret quod tractaremus praeter fragmenta; ea enim non multum nos morabuntur. In frg. 11 sq., quae et ipsa 'bacchiaci' numerorum generis sunt, notabilis haec *ὀκτωκαιδεκασήμου* forma: *θυμὸν εἴ τις ἔχων ἀπενθῆ δύναται*, – ◡, – ◡, ◡ –, ◡ –, – ◡, ◡ –. Alia autem aliorum generum plane nihil negotii faciunt. Trochaei, spondeis nullis ut videtur admissis, sunt in 21, ubi comparet vel periodus vel stropha XIII trochaeorum et syllabae (⊔), mollissimo et paene fracto numero, sed eodem fortasse apto carminum generi sympotico; similem habet 17, quod ex *ἐρωτικοῖς* affertur, tamen uno spondeo admixto. Creticis usus est poeta in hyporchematis, v. frg. 15 sq.; semel ibi est pro cretico paeon primus; ceterum non minus aequaliter decurrit numerus quam apud Aristophanem. Ergo creticumne sive paeonicum putabimus carmen XVI? Est id manifesto paean resque Minois Cretis attingit, habet insuper ipsum vocabulum *Κρητικόν* versu quarto; sed si ibi sunt cretici

paeonesque agnoscendi, saltem mirum in modum ei cum trochaeis, iambis, anapaestis adeo commixti sunt. Primi tres versus, *συναφείᾳ* ut videtur coniuncti, hi sunt: *κυανόπρωιρα μὲν ναῦς μενέκτυπος Θησέα δὶς ἑπτά τ' ἀγλαοὺς ἄγουσα κούρους Ἰαόνων Κρητικὸν τάμνε πέλαγος.* Multo facilius hos versus in eos creticos quos vocat Aristoxenus[1]), id est ditrochaeos, redegeris quam in eos qui vulgo dicuntur: ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑, └─ – ⏑, – ⏑ └─, └─ ⏑ ⏑ ⏑, – ⏑ – ⏑ (– ⏑ ─┘ in str. β'), – ⏑ – ⏑, └─ – ⏑, – ⏑ ─┘, – ⏑ – – (– ⏑ ─┘ ant. β'), ⏑ ⏑ ⏑ └─. Sed ut ait Bacchylides: *εἰ δὲ λέγει τις ἄλλως, πλατεῖα κέλευθος.*[2]) Erit certe etiam diiambis opus: octavus quidem versus idemque periodi ut videtur initium ab ⏒ – ⏑ – incipit. Sed libenter ego hanc provinciam audacioribus relinquo, iisdemque de Pindarici carminis Olympiaci secundi numeris statuendum permitto. Scatet autem hoc Bacchylidis carmen magis quam ullum aliud imperfectae responsionis strophicae exemplis, sed idem etiam corruptum magis quam cetera omnia esse apparet.

Neque diutius immorabor carmini XV (*Ἡρακλῆς*), quod est unicum *τοῦ κατὰ δάκτυλον εἴδους* specimen. Eo genere Pindarum nusquam usum esse metrici nostri docent, sed usos esse cum aliis Stesichorum Simonidemque. Si essent dactyli cum anapaestis puri, haud difficile numeros explicaremus, sive recte sive minus recte; nunc cum alii numeri valde obscuri admixti sint, equidem manus abstineo.

De carminum autem compositione haec monenda sunt. Nusquam *ἀπολελυμένοις* poeta usus esse videtur, sed in

---

1) Ap. schol. Hephaest. p. 173 Gaisf., Anal. gramm. ed. Keil p. 10. Sed plenum nomen fuisse vid. *κρητικὸς κατὰ τροχαῖον*, Diomed. p. 481 K. In Oxyrhynchensi quoque Aristoxeni fragmento (I, 7) *κρητικοῦ* appellatio est, agnosciturque satis diserte ab Aristophane Eccl. 1165. 2) Diiambos per totum fere carmen agnoscit Wilamowitzius p. 137 sqq., et cf. infra p. 14 sqq. 3) Incertior res est de carmine VII, cuius et prima pars et extrema supersunt, media intercidit. Ibi trimetri sunt, ipsa longitudine conspicui, vv. 1—3. 6—11. 14. 48—50; reliquorum si qui fuissent, expectandum erat ut eorum exitus in margine

strophas sive strophas cum epodo omnia redegisse.[3]) Τριὰς ἐπῳδική in omnibus epiniciis maioribus est, item in dithyrambis XIV—XVIII, praeter unum carmen XVII: quippe cuius compositio peculiaris epodos non admitteret. Strophae binae sine epodo sunt in epiniciis breviusculis IV. et VI; propter condicionem mutilam compositio non apparet in dithyrambo XIX. Cetera conspectus numerorum infra positus declarat.

IV. ARGUMENTA CARMINUM.

A. ΕΠΙΝΙΚΟΙ.

I. Inscriptio cum priorum carminis paginarum maxima parte periit; eadem autem victoria et hoc et altero carmine canitur, cui inscriptum est τῶι αὐτῶι. Non dubium quin Ἀργεῖος (I, 142. II, 4 sq.) nomen victoris sit, patris Panthides (Πανθείδης, v. I, 147. II, 14), patria Ceos. Nempe Argii victorias etiam lapidis Cei inscriptione testatas habemus (monuit Wilamowitzius, item Italus Nic. Festa), ubi inter ludorum sacrorum victorias a Ceis civibus reportatas recensetur Ἀργείου Πανθ[εί]δεω victoria Isthmiaca παίδων, Nemeaea ἀγενείων.[1]) Illa his carminibus celebratur, v. I, 6 sqq. 156. II, 7, fuitque in indice Isthmiacarum ipso poeta teste (II, 9 sq.) septuagesima prima. Putandus autem est Argius, qui καρτερόχειρ (I, 141) vel θρασύχειρ (II, 4) dicitur (nisi hoc quidem loco μάχας θρασύχειρος potius scribendum), pugilatu vicisse, quod certaminis genus a Ceis praeter cursum maxime exerceri solitum esse testatur Bacchylides VI, 7. Videtur carmen non minus octo systematum fuisse, e quibus ultima duo fere integra supersunt, reliquorum fragmenta tantum. Etenim si primo loco inter epinicia collocatum est (v. supra p. V),

---

sinistro paginae XVIII adhuc exstarent, sicut exstant ibi exitus versuum 6—11. 14. Si autem nulli praeterea trimetri fuerunt, ne antistropha quidem fuit, aut certe a veteribus non agnita est, ut in Pindari c. Ol. XIV. 1) Pridik de Cei rebus (Berol. 1892, diss. Dorpat.) p. 160.

primae strophae initium idem etiam paginae fuit, sicut nunc est strophae paenultimae, a qua incipit prima pagina Kenyonis. Habent systemata versus vicenos ternos, paginae fere tricenos quaternos quinosve; itaque binae paginae systematis ternis explentur, desuntque ante primam Kenyonis aut duae aut quattuor. Sed fragmenta quae exstant in duas paginas cogi nullo modo possunt; relinquitur igitur ut quattuor fuerint, partim, sicut videmus, fabulosis narrationibus refertae, quae pars fuit carminis media, partim exordium et victoriae Isthmiacae laudes continentes, quae ne ipsa quidem prorsus perierunt. Enarrantur autem in fragmento maximo, quod Kenyonis paginam primam prope antecessit, natales Euxantii, Minois Cretis Dexitheaeque Ceae nymphae filii; aliorum fragmentorum argumentum egregie illustravit Ellisii Wilamowitziique[1]) doctrina. Haec enim in scholiis Ovidianae Ibidis leguntur (ad v. 475, cod. P): *Macedo* (rectius *Macelo* vel *Macello*, ut ap. Nonnum 18, 35[2]), et ipsum *Μακ*]*ελώ* nunc in uno fragmentorum comparuit) *filia Damonis dicitur cum sororibus fuisse. harum hospitio usus Iuppiter* (Apollinem addit Nonnus), *cum Telchinas quorum hic princeps erat corrumpentes invidia successus omnium fructuum fulmine interficeret, servavit. ad quas cum venisset Minos, cum Dexione* (lectio in schol. ad v. 469 *Dexithoe*) *concubuit, ex qua creavit Euxantium, unde Euxantidae fuerunt.* *Εὐξαντίδα νᾶσον* Ceum etiam Bacchylides vocavit (II, 8, cf. I 9 sq.), nympham autem appellavit *Δεξιθέαν*, i. e. quae deos excepit hospitio, non Dexionen vel Dexithoen, praeterea ut videtur sororem Macelus aliquam . . *σαγόραν* (I 49. 73), Telchinas autem, si est Tzetzae locus (v. frg. 52) ad hoc carmen referendus, Actaeum Megalesium Ormenum Lycum. Verum de his quidem nihil adhuc ex ipsius carminis fragmentis prodiit; contra bis (51 sqq. 138 sqq.) agitur de novo oppido ad

---

1) Ellis Class. Review Febr. 1898 p. 66. v. Wilamowitz Gött. Gel. Anz. 1898, 126 sq. 2) *Ζῆνα καὶ Ἀπόλλωνα μιῇ ξείνισσε Μακέλλων* (scr. *Μακελλώ*) . . . . . (excipit lacuna).

littus maris condendo, Coreso, si conicere licet, quod idem etiam victoris patria fuit. Acute enim observavit Nicolaus Festa, a *κόραις* (sic enim Bacchylides nymphas appellat, vv. 48. 117) nomen *Κόρησος* derivatum esse videri; epitheton autem oppido novo tributum *βαθυδείελος* (139 sq.), ab ipso poeta quodammodo explicatum, cum dicat alio loco (55) *ὑπό τ' α]ὐγαῖς ἀελίου*, in unum hoc inter quattuor Cei oppida convenit.[1] Alia quaestio est, num *ἀρχαία πόλις* (52) a Nymphis tum relicta Iulis sit intellegenda; rectius enim, ut putaverim, de antiquo quodam oppido cogites quod nullum postmodo fuit. A fabulis autem (de quibus conferenda quae supra disserui p. XXIV) Bacchylides ad victorem ipsum denuo venit multusque est in patris Panthidae iam fato functi laudibus. Denique ultimum systema totum sententiis generalibus datum est, quibus et divitiarum studium perstringitur et mediocris vitae sors laudatur et virtutis praemia sempiterna monstrantur; recte igitur, ut puto, princeps editor ipsius victoris fortunas paullo tenuiores fuisse coniecit.

II. Est carmen Cei cantatum statim post nuntium victoriae, constans uno systemate brevissimo. Paullo rectius enim quam princeps editor L. Levi, N. Festa, alii mihi versum primum restituisse videntur. Conferatur autem carmen VI.

III. Ex tribus carminibus Hieroni Syracusano scriptis (III—V) grammatici tempore novissimum primo loco posuerunt, nimirum quia Olympiaca victoria curulis hoc celebratur, Pythica quarto, Olympiaca equo parta quinto.

---

1) Conferendum *εὐδείελος* Pindaricum: Pyth. IV, 76 *εὖτ' ἂν αἰπεινῶν ἀπὸ σταθμῶν ἐς εὐδείελον χθόνα μόληι κλειτᾶς Ἰωλκοῦ*; Ol. I 112: *εὐδείελον Κρόνιον*, cf. III, 24 de Olympia: *τούτων* (*δενδρέων*) *ἔδοξεν γυμνὸς αὐτῶι* (Herculi) *κᾶπος ὀξείαις ὑπακουέμεν αὐγαῖς ἀλίου*. 2) Defendit *ἄ]ϊξον*] Kenyonis O. Schroeder: de proficiscendo apte dici *ἀΐσσειν*, non de veniendo. Id si est, aliud verbum quaerendum est. Certe *ἀνέμνασεν* (6), etsi ad Argium referatur (sicut *Θρασυδαῖος ἔμνασεν* est ap. Pind. P. XI, 13) utique Ceos habet obiectum; itaque non veniet nuntius, sed venit.

Curulis Olympiaca in ol. LXXVIII (468) incidit[1]); proximo anno rex diuturno morbo calculi conflictatus mortuus est. Cantatum est carmen, ut equidem puto, Syracusis (etsi Delphis putat Britannus editor); quae enim leguntur v. 15 sq. de sacrificiis in deorum fanis oblatis deque publicis conviviis per vias celebratis neque ad Olympiam referri posse videntur neque ad Delphos, ad quos postea demum (19 sqq.) poeta transit, unum Apollinis templum diserte indicans. Neque vero erat cur per huius victoriae occasionem Delphico potissimum deo hostiae immolarentur, quae praeter Iovem Olympium deberentur dis deabusque ipsius regiae urbis. Adfuisse autem poetam ipsum etsi non certum tamen satis veri simile est. Sunt carminis septem systemata, sed brevia, estque toto habitu tenuioris magis generis quam grandis, dulce autem si quod aliud, ut non inepte poeta ipsis extremis verbis cum luscinia se comparet. Medium locum obtinet fabula Croesi ab Apolline e rogo incenso erepti et ad Hyperboreos translati. Et ante et post eam fabulam munificentia regis erga deos, maxime Apollinem, laudibus effertur, ut conicere cum Kenyone liceat non magis propter victoriam Olympiae partam quam propter aureorum tripodum Delphicorum dedicationem, quae eodem tempore facta esset, scriptum esse carmen. Etsi de tripodibus Victoriisque aureis a Gelone Hieroneque Delphos missis et antehac erat quaestio valde intricata et nunc etiam intricatior facta est, reperta basi Gelonis nomen exhibente et altera in qua patris tantum Dinomenis nomen servatum est; praeterea duae aliae inventae sunt paullo minores inscriptionibus carentes.[2])

---

1) V. schol. Pind. Ol. I. inscr. 2) V. Th. Homolle Bull. de corresp. hellénique XXI (1898), 588 sqq., et plenius in „Mélanges Weil" 207 sqq. Haec est inscriptio Gelonis: *Γελον ο Δεινομεν[εος | ανεθεκε τοπολλονι | Συραϙοσιος ‖ Τον τριποδα : και τεν : Νικεν : εργασατο | Βιον : Διοδορο : υιος : Μιλεσιος*. Alterius autem basis haec: [*Ηιαρον Ηο Δεινομε*]*νεος* (ita Hom.) *ανεθεκε. ε.* | —— *Ηεπτα μναι*. Talentorum numerus aliquis fuit ante minarum, indicabaturque auri pondus.

Hos igitur omnes vir doctissimus Theoph. Homolle ad unam Gelonis dedicationem refert: fuisse sicut quattuor fratres, ita bases eorum quattuor cum tripodibus suis Victoriisque, et communi nomine quattuor Dinomenis filiorum dedicationem factam esse epigrammate quod Simonidis dicitur testatum nos habere.[1]) Verum etiam aliter statui potest: unum fuisse Gelonis tripodem, tres Hieronis propter tres victorias Pythicas dedicatos[2]); nempe diserte Bacchylides de hoc: *ὑψιδαιδάλτων τριπόδων σταθέντων* (v. 18), et si tres misit, unum autem Gelon, cum ceteris Graecis omnibus etiam ipsum fratrem Hiero superavit, v. 63 sqq. Iam si tempus quo dedicaverit Hiero quaeritur, ex carmine quarto simplex responsio parata est: nempe post illius tempus, quod cum Delphicam victoriam celebret ne verbum quidem habet de munificentia tanta. Inter quartum vero et tertium carmen duo tantum anni inter-

---

1) Schol. Pind. Pyth. 1, 155. Anth. P. 6, 214. Primum distichon hoc est: *Φημὶ Γέλων' Ἱέρωνα Πολύζηλον Θρασύβουλον παῖδας Δεινομένευς τὸν τρίποδ' ἀνθέμεναι* (Anth., at schol. *τοὺς τρίποδας θέμ.*). V. v. Wilamowitz Gtg. Nachr. 1897 p. 313 sqq., qui (ante inventum Bacch.) statuit unum Gelonis, nullum Hieronis tripodem fuisse, de Gelone enim etiam Diodorum (XI, 26) auctore Timaeo ita testari, neque Theopompum Phaeniamque, ex quibus excerpta dat Athenaeus (VI, 231 F sqq.), plus uno tripode notum habuisse, etsi Hieroni eum Theopompus adscribat.
2) Itaque recte Wil., quod ad Gelonem attinet; sed Theopompus testis e Bacchylide leniter corrigendus est. Scilicet de uno ille maximo tripode dixit, duobus minoribus neglectis; apparet enim minores fuisse, cum bases minores sint; contra unus iuxta positum Gelonis aequabat, sicut basis basim aequat. Atque erat consimili ratione una victoria maxima, *τεθρίππῳ* parta, minores duae aliae *κέλητι* reportatae. Epigramma Gelonis, i. e. primum dumtaxat distichon, sec. Wil. basi Victoriae insculptum fuit; Victoriam enim loquentem induci (*φημί*). Haec autem addo: facile ex mea ratione explicari, cur duae bases inscriptionibus careant, neque minus facile differentias quae inter duas inscriptiones intercedunt, discretam temporibus et occasionibus originem indicantes. Velut quod *E* in Hieronis titulo angulos rectos habet, at in Gelonis ad antiquum morem acutos obtusosque.

sunt, et cum dedicandi occasionem praebuisse videatur victoria Delphica tertia, ea nempe quam quarto carmine canit Bacchylides, insuper multum temporis in auro conquirendo consumpsisse Hieronem Theopompus apud Athenaeum narrat[1]), ut iam paene necessarium videatur ipsi anno 468 dedicationem adscribere. De carmine haec addenda: prooemium ut conveniebat a victoria curuli sumptum est; post regis autem laudes alteras gnomica pars satis longa de vitae humanae condicione instabili immortalitateque quae virtuti per Musas tribuitur adiecta, unde brevi clausula carmen terminatur.

IV. Inscriptio est *τῶι αὐτῶι Πύθια*; nempe haec quoque victoria curulis est, Pindari praeterea splendidissimo carmine (Pyth. I) celebrata. Fuit Pythias, testantibus scholiis Pindaricis, XXIX, quae secundum eorundem scholiorum rationes incidit in ol. 77, 3 (470); veram autem esse eam rationem neque cum Boeckhio ex Pausania corrigendam, post Bergkii, Wilamowitzii aliorumque curas iam fere exploratum habere videmur. Carmen duabus strophis constans statim post nuntium victoriae a poeta Syracusis tum quoque commorante factum putes, eoque referas usum personae primae pluralis *ἐγεραίρομεν* v. 13.[2]) Simplex carmen esse videtur, sed diligentius introspicienti ars magna apparet in contexendis Olympiacis Pythicisque victoriis; quippe et in priore et in altera stropha ab his incipiens poeta ab eodem strophae loco ad illas deflectit, tum in altera totum carmen generali clausula terminat.

V. Nulla est in libro inscriptio, tamen praeter victorem cetera sunt dissimilia; inscribendum erat *τῶι αὐτῶι κέλητι Ὀλύμπια*. Vicit Hiero Olympicis ludis bis *κέλητι*, semel atque postremo *ἅρματι*; olympiades indicantur a

---

1) Athen. VI, 232 A. 2) Si recte supplevi, significat poëta Olympiae se adfuisse cum victoriae Olympiae reportarentur, sicut nunc adest cum „licet tres Pythicas duasque Olympicas victorias simul celebrare“ (14 sqq.), nempe Syracusis; Delphis enim Pythicarum solarum rationem habere aequum erat.

scholiasta Pindari (Ol. I) ογ′, οζ′, οη′, sed primus numerus corruptus est, reponendumque cum Bergkio ος′, ut sit annus 476.[1]) Namque id et ex Pindari carmine et ex hoc Bacchylidis, quorum utroque eadem victoria canitur, planum atque apertum est, Pherenicum quidem equum huius Olympiadis victorem nunquam antea Olympiae vicisse, vicisse autem Delphis (v. 41), Pythiade scilicet (teste scholiasta) XXVII, a. Chr. a. 478. Quod enim iam proxima priore Pythiade (XXVI, a. 482) victoriam equestrem Delphis Hiero reportaverat, alius fuisse equus victor statuendus est: quod si secus esset, et id ipsum in carmine legeremus neque legeremus de Pherenico πῶλον ἀελλοδρόμαν (39).[2]) Itaque si annus est 476, apprime convenit quod neque Aetnae conditae mentio fit neque victoriae navalis de Etruscis reportatae, sicut ne in Pindari quidem Olympico carmine primo. Bacchylidis hoc usque ad quinque systemata ampla extenditur, habet autem post prooemium, quo declarat poëta Ceo se carmen in Siciliam mittere, primum splendidissimum praeconium et regis et victoris equi. Quam partem postquam sententia generali terminavit, non omnia ulli homini feliciter evenire, pergit narrare longissimam fabulam, cuius argumentum partim saltem etiam in Pindari aliquo carmine explicatum esse traditum est (schol. Φ 194, frg. 249 Bgk.). Hercules cum ad inferos descendisset ibi cum Meleagro congreditur, qui narrat tristissima fata, quibus et fratres et ipse occubuerant; ille autem et misericordia et admiratione tanti

1) Nunc quidem invento Ὀλυμπιονικῶν fragmento (v. ad VI) certissime de hac re constat, etenim et sub ol. 76 et 77 victor Hiero κέλητι ibi scriptus est. 2) Narrat Herodotus et Cimonis Atheniensis equos et Euagorae Spartani ternis Olympiadibus continuis vicisse; pluribus nullos unquam. Fuerit igitur Pherenicus etiam ol. LXXVII victor: sed traditum id nusquam habemus. Addit Christ Pelagonii locum, artis veterin. p. 32 Ihm: *equos circo sacrisque certaminibus quinquennes usque ad annum XX. plerumque idoneos adseverant.* Quod Pherenicus apud Pind. Pyth. III, 74 Delphis στεφάνους reportasse dicitur, minime necessario de pluribus victoriis intellegendum: cf. Ol. VI, 26. Pyth. II, 6.

viri commotus consilium capit sororem Meleagri Deianiram in matrimonium ducendi.[1]) Id vero consilium sibi funestum iniens inscius confirmat quod Meleager ei dixerat (94 sqq.): *χαλεπὸν θεῶν παρατρέψαι νόον ἄνδρεσσιν ἐπιχθονίοις*. Docet igitur poeta duorum heroum maximorum exemplis, non posse homines deorum iram semel undecumque concitatam ulla ratione ab se avertere, idque docet Hieronem maxime, in summo fastigio potentiae et gloriae collocatum, verum tecte, non nimis aperte: quare et post Deianirae mentionem factam subito narrationem abrumpit, et statim in prooemio (3 sqq.) Hieronem monuit requirere carmen intellegentem et attentum auditorem.[2]) Extrema parte ad victoriam equestrem Hieronisque res prosperas redit optatque ut diuturnae maneant. Carmen egregia arte compositum rebusque et verbis splendens facile principem locum inter epinicia tenet, et ut vincatur a Pindarico carmine eandem victoriam celebrante, minime tamen turpiter vincitur.

VI. Carmen duabus strophis brevibus constans inscriptum est *Λάχωνι Κείωι σταδιεῖ Ὀλύμπια*. Comparet Lachonis Aristomenis f. (v. 12) nomen in titulo agonistico Ceo quem ad c. I commemoravi, ubi bis Nemeis *παίδων* vicisse traditur (cf. VII, 40)[3]). Recte igitur Iac. Wackernagel atque Wilamowitzius, cum nusquam sit Lachonis nomen in tabulis cursorum Olympiacorum per Eusebium aliosque traditis, Olympiae quoque *παίδων* eum vicisse statuerunt, cf. VII, 46, et nunc a duumviris Oxoniensibus Bernardo Grenfell et Arthurio Hunt ex Oxyrhynchi ruderibus *Ὀλυμπιονικῶν* libri fragmentum protractum est, in quo et hoc confirmatur et olympias indicatur LXXXII (a. Chr. a. 452)[4]). Itaque Nemeaeae duae victoriae, quarum altera

---

1) Contra apud Pindarum Meleager id ab Hercule petisse narrabatur. 2) Gaudeo plane mihi de hac re, ut de plurimis aliis, convenire cum Carolo Robert (v. Herm. 1898, 152). Cf. autem supra p. XVI sq. 3) Verba sunt v. 26 sqq.: *Ἀργεῖος Πανθ[εί]δεω ἀγενείω[ν. | Λ]άχων Ἀριστο[μ]ένεος παίδω[ν. | Λ]άχων Ἀριστομένεος παίδω[ν.* Superscripta sunt huic parti: *οἵδε Νέμεια ἐνίκων οι[.* 4) Benigne viri doctissimi hoc

διαύλωι fuerit parta, ad ol. 81, 2 referri possunt, Pythica (VII, 39) ad 81, 3, Isthmiaca (ibd. 40) ad 81, 4. Venustate et tenuitate eleganti carmen simile est secundo in Argium composito, Ceique et ipsum cantatum est ante domum victoris, v. v. 14 *προδόμοις ἀοιδαῖς*, sed ut videtur eo iam reduce facto.

VII [VII. VIII K], *τῶι αὐτῶι.* Unum est carmen cuius et initium habemus et extremam partem, media autem periit. Vix recte enim Britannus editor extremorum sententiam ita restituit, ut vota Olympicae victoriae conciperentur (*τέλεσσ[ον* 49), cum posset eadem facilitate *τέλεσ[ας* indicativo reposito ad victoriam iam partam haec referre. Systema si fuit[1]), unum fuit, sed valde longae et strophae et epodus, paene in modum XVI. carminis. Cum prooemio splendido compelletur dies Olympicorum ludorum is, quo coronae decernebantur, haud incredibile est hoc quidem carmen Olympiae et compositum et cantatum esse (cf. ad VI.).

VIII [IX], Automedi Phliasio qui pentathlo Nemeis vicerat scriptum est. Exordium sumitur a certamine Nemeorum ab Adrasto olim post Archemori infaustum obitum instituto, unde facili transitu ad Automedem poeta progressus elaborate eius virtutem in tribus pentathli certaminibus conspicuam laudibus persequitur.[2]) Tum ad patriam victoris conversus fabulas iterum attingit, Asopum scilicet fluvium eiusque filias; inde enim ipsos Phliasios praecipuam gloriandi materiam repetivisse ex Pausania constat.[3]) Reditus fit ad Phliuntem victoriamque inde a v. 66, neque quamvis lacunis haec omnia foede hient, videtur dubitari posse quin mox Veneris laudes poeta inseruerit, non tantum propter Iovis Aeginaeque amores

---

suo invento ut iam nunc uterer permiserunt; fiet autem publici iuris id fragmentum post paucos, ut speramus, menses.
1) V. supra p. LII, adn. 3. 2) Cf. de pentathlo Holwerda Olympische Studien III, Archaeol. Ztg. 1881, 205 sqq.
3) Paus. II, 5, 2. V, 22, 6. X, 13, 6; v. ad. v. 61 sqq. Admonuit alterius loci, qui gravissimus est, primus E. Bruhn.

quosque alios commemoraverat, quam propter Automedem ipsum. Quem etsi non puto puerorum quinquertio vicisse, quod num omnino tum fuerit Nemeae incertissimum est[1]), tamen pulchritudine praestitisse poeta splendida comparatione (27 sqq.) declarat, neque incredibile est ipsi Bacchylidi Phliunte commoranti familiaritatem quondam cum Automede intercessisse. Sed utut id est, medium tenent huius totius partis sententiae generales, inde sequebatur, si recte coniectum est, Bacchi commemoratio, in extremo autem carmine rursus victoria est, ut videamus tota hac parte circuitum quendam apte atque rotunde expleri.

IX [X]. Initium carminis male habitum est, periit inscriptio quoque, sed ex eis quae legimus comparet Atheniensem victorem fuisse ex tribu Oeneide. Nomen ei fuisse videtur Aglaus: quod si parum Attice sonat, monuit iam Wilamowitzius ignobiliorem domum victoris indicari tribu nominata, non gente aliqua, neque abhorret a veri specie unum ex peregrinis a Clisthene in novas tribus Atticas receptis etiam hunc patremve eius fuisse, propter quos dicit Aristoteles[2]) institutum esse Athenis ut non *πατρόθεν* cives appellarentur, sed a suo quisque pago, quocum arte coniuncta erat tribus. Victoriae autem duae cursu Isthmiis partae, quae praecipuo loco commemorantur, non videntur recentes fuisse, neque inter vivos ipse victor, cuius sororis maritum legimus (v. 9) poetam incitasse, ut Aglao hoc monumentum erigeret. Isthmiacae victoriae continuae fuerunt, altera *σταδίωι* altera *ἱππίωι δρόμωι* ut videtur parta (v. ad 21 sqq.). Carmen e duobus systematis constans nullam habet partem mythicam, sed post prooemium est cursuum Isthmicorum elaboratum praeconium, tum brevius ceterarum victoriarum alibi partarum; insequitur sententiosa pars, quae generaliter virtutis praestantiam comparatione aliorum studiorum illustrat denique simili clausula ei quae in VIII. est carmen terminatur.

---

1) Neque convenit in pueros *γυιαλκέα σώματα* 38. 2) *Πολ. Αθ.* c. 21, 4 cf. 2.

X [XI.]. Alexidamo Phaisci f. Metapontino compositum est carmen, qui inter pueros luctator Pythiis vicerat. Splendet exordium, etsi in libro nostro male habitum; cetera fere integra servata sunt, sed non omnia perinde egregia. Habet carmen tria ampla systemata, ante alterum pars fabulosa incipit, quae per multas ambages et rerum et verborum usque ad epodum tertiam extenditur. Argumentum est insania Proeti filiarum a Diana Ἡμέρᾳ denique sanata; eius nempe deae religio ab Achaeis Metapontii conditoribus in novas sedes translata erat (113 sqq.), diciturque eiusdem deae favore etiam Alexidamo victoria obtigisse (37 sqq.). Ultima epodus pauca et exilia habet de Achaeorum virtutibus, nihil de victore, cuius laudes primo systemate absolutae sunt.

XI [XII]. Est exordium carminis sive longioris sive brevioris, Tisiae Aeginetae ob luctationis victoriam Nemeae partam scripti. Excipit enim magna lacuna qua posterior pars epiniciorum a priore dirempta est, cuius lacunae ne ambitus quidem potest definiri.

XII [XIII].[1]] Hoc carmine egregio celebratur Pytheae Aeginetae eadem victoria Nemeaea pancratio parta, quam collaudat Pindarus carmine Nemeaeo quinto. Aeginetae fratres fuerunt Pytheas maior, minor aliquot annis Phylacidas, Lamponis filii, credo eiusdem quem Herodotus (IX, 78) et Pytheae filium vocat et *Αἰγινητέων τὰ πρῶτα* fuisse dicit. Quod enim Cleonici *παῖς* est apud Pindarum (Isthm. V [VI], 16), potuit is patris nomini avi nomen substituere, ne quid esset ex *ὁμωνυμίᾳ* incommodi, neque plane inusitatum *παῖς* de nepote (v. Olymp. VIII, 45 al.). Gens fuit Psalychidarum (Isthm. V [VI], 63). Hae autem sunt victoriae a poetis celebratae: una Pytheae Nemeaea, cuius laudes uterque canit; tum Isthmiacae duae Phylacidae, quarum prior illustratur Pindari carmine Isthmiaco V [VI], posterior IV [V]. Atque cum in hoc, quod tem-

1) Uberius de hoc carmine egi in commentatione Museo Rhenano inserta (1898, p. 283 sqq.).

pore postremum est, pugnae Salaminiae mentio fiat, in ceteris non fiat, colligunt cetera illa pugna tempore priora fuisse. Sed hoc si posueris, vide quid sequatur. Dicit Pindarus in Nemeaeo quinto (v. 49), quod trium antiquissimum est: *χρὴ δ' ἀπ' Ἀθανᾶν τέκτον' ἀθληταῖσιν ἔμμεν*, scilicet quia Pytheas Atheniensi Menandro magistro usus erat, eundemque Menandrum collaudans Bacchylides ait Minervae Atheniensium patronae beneficio et Olympiae et alibi saepissime illius alumnos coronis ornatos esse (v. 193 [160] sqq.). Licebat igitur tunc temporis Athenienses Aeginae laudare, morisque erat Aeginetis filios Athenas instruendos exercendosque mittere. Ergo non intercedebat inimicitia Aeginetis cum Atheniensibus; multo minus bellum inter utramque civitatem gerebatur. Sed scimus ante Xerxis expeditionem bellum acre inter eas fuisse, neque compositum esse nisi cum iam commune periculum prope instaret (Herod. VII, 145). Itaque in tempora quae post bellum Persicum fuere reicimur. Neque vero putanda est post id bellum poetis ulla fuisse necessitas vel Athenis vel Aeginae proeliis illis ingentibus *ἐγγλωττοτυπῆσαι*. Id nepotes facere soliti sunt, non illi ipsi Graeci qui eas res maximas gesserant, itaque Pindarus in tot carminibus Aegineticis non plus semel Salaminis meminit, atque ita ut statim gloriandi conatum reprimat (*ἀλλ' ὅμως καύχημα κατάβρεχε σιγᾶι. Ζεὺς τά τε καὶ τὰ νέμει*, Isthm. IV [V], 51 sq.). Quando igitur manifestum est Aeginetas minime Salaminiae pugnae laudes a poëtis exegisse, nolimus eorum silentio abuti ad tempora carminum definienda. Bacchylides quidem mihi videtur non plane eas res siluisse, sed tecte saltem significasse; verum cum ea verba (79 sqq. [46 sqq.]) mutila tradita sint, supplementa mea nolo pro argumentis venditare. Tempora autem sic definio: vel post annum 480 vel brevi ante Pytheam Athenas esse missum, victoriam autem eius, quoniam Nemeaei ludi in Olympiadum annos secundos quartosque incidebant, vel in anno 479 vel 477 collocari posse.

Inscriptionem carminis, quae cum principio periit, ita

restituit Britannus editor: *Πυθέᾱι Αἰγινήτηι παιδὶ παγκρατιαστῆι Νέμεα*, sicut vulgo est in Pindari carmine, *παιδὶ* vocabulum partim exhibentibus libris partim non exhibentibus. Est autem sic apud Pindarum de Pythea (v. 6): *οὔπω γέννσι φαίνων τέρειναν ματέρ' οἰνάνθας ὀπώραν.* Quo quidem versu videtur mihi Pindarus disertissime indicare certamen inter *ἀγενείους* fuisse, non inter pueros; *ἀγενείωι* igitur inscribendum. Hanc enim aetatem intermediam et Marathone Heracleis scimus a puerorum et adultorum separatam fuisse (Pind. Ol. IX, 89), neque aliter Nemeae iam tunc temporis institutum fuisse inscriptione Cea cuius particulam aliquam ad c. I attuli iam testatum habemus.[1]) In Bacchylidis carmine nunc nihil de aetate victoris indicatur; sed cum collaudetur magister, ut apud Pindarum quoque, id aetatis nondum adultae certum indicium est; puerorum enim sive *ἀγενείων* luctatorum vel pancratiastarum vel pugilum gloria ex parte magistri erat, et constanter Pindarum in eis carminibus magistro suam laudem tribuisse videmus.[2])

Ex primo systemate carminis paucae litterae supersunt, quae tamen utique ad hoc carmen neque ad antecedens aliquod referendae sunt; ipsa enim forma longitudoque versuum, quorum habemus vestigia, egregie convenit eis versibus huius carminis, qui in eam partem paginae incidebant. Itaque septem systemata fuerunt, versus 231, fuitque hoc carmen inter omnia longissimum, nisi per membrorum aliam divisionem, quinis cuique monometris systemati detractis et cum dimetris qui antecedunt coniunctis, infra quinti carminis ambitum hoc recidere malis. Orsus poeta a victoria, ut quidem putaverim, mox ad Nemeaeorum ludorum antiquitates deflexit, nymphamque Nemeam, ut conicio, induxit Herculis cum leone Nemeaeo *παγκράτιον* spectantem et de ludis eodem loco futuris vaticinantem.

---

1) Cf. Pind. Ol. VIII, 54 sqq. et Christium Pind. p LXXV, etsi is, ut iam apparet, nimis caute iudicavit. 2) Bacchylides in c. X (XI) id facere omisit.

Tertio systemate per Pytheae iteratam mentionem ad Aeginam venit, non modo insulam urbemque sed mox etiam nympham, quam cum comitibus per avia vagantem ludentemque describit. Cantant autem comites etiam Endeidem Pelei Telamonisque matrem, unde Aeacidarum mentione iniecta non deest Bacchylides officio quod legitimum Aeginae erat eos heroes celebrandi. Tota igitur systemata quartum quintumque in laudibus Troianis Achillis Aiacisque quam splendidissime ornandis versantur. Sexto septimoque per sententias generales revertitur ad insulae laudes, neque Menandri magistri Lamponisve patris obliviscitur.

XIII [XIV]. Scriptum Cleoptolemo Pyrrhichi f. (si recte suppletus est v. 22) Thessalo, Petraeis ludis Thessalicis curuli certamine victori, collocatum autem hoc loco ut videtur ultimo fortasse ob id ipsum, quod solius huius carminis ludi non erant ex eis qui sacri vocabantur.[1]) Incipit carmen a parte sententiosa; de victoria et victore pauca nunc relicta, pleraque mutilatione libri ablata sunt, et ea ipsa quae habemus aegre intelleguntur supplenturque. Id tamen ex prima parte satis certo apparere videtur, hanc laetam fortunam post alteram gravem accidisse, velut post patris mortem naenia (12 sqq.) concelebratam.

B. ΔΙΘΥΡΑΜΒΟΙ.

Totum hoc carminum genus ante Bacchylidem inventum haud multum aberat quin prorsus ignotum esset. Unum eius specimen habebamus, Danaen Simonidis: quod carmen quin re vera ad hoc genus pertineat iam non puto quemquam amplius dubitaturum esse, licet sint quibus id non persuaserim commentatiuncula ante hos tres annos scripta Hermaeque volumini trigesimo inserta (p. 314 sqq.). Quamquam quod ibi pronuntiavi Danaen utpote dithyrambum antistrophis carere, id his Bacchy-

---

1) V. Kenyon p. XXIV.

lideis sex vel quinque carminibus — nam de ultimi strophis non constat — fere refutari videtur; itaque amplius ibi quaerendae et stropha et antistropha et epodus, quae putandae sunt in Dionysii exemplo paragrapho solita separatae fuisse. De ordine horum Bacchylidis carminum deque ceteris rebus antea dixi (p. VI); id quoque commemoravi, comprehensas esse a grammaticis dithyramborum nomine omnes narrationes fabulosas, etsi in quibusdam earum satis aperte indicetur diversum carminum genus, neque ad Bacchi sollemnia omnes, sed quaedam ad Apollinis manifesto pertinuerint.[1])

XIV [XV]. Inscriptum fuit *Ἀντηνορίδαι ἢ Ἑλένης ἀπαίτησις*, qua inscriptione statim reminiscimur Sophoclis vel fabulae vel fabularum. Unam enim fabulam fuisse duabus eis inscriptionibus praeditam (altera nimirum a choro sumpta) ex ipso Bacchylidis carmine iam aliquanto probabilius factum est, praesertim cum suspicio sit priorem inscriptionem a Sophocle esse in Bacchylidem translatam. Exstat carminis principium, sed pessime habitum, et extrema pars XXVII versibus constans; ex mediis XXII perpauca servata videntur. Nullum est prooemium, sicut ne epilogus quidem; in medias res statim deducimur, initio a Theano Antenoris uxore sumpto, cuius inde a v. 10 videtur longior quaedam oratio fuisse. Hoc igitur est argumentum: Menelaum Ulixemque legatos Troiam missos ad reposcendam Helenam (Hom. *Γ* 205 sqq.) hospitio excepit Theano, cui cur praecipuas partes dederit poeta, postposito Antenore, cui Homerus eas tribuerat (v. 207 sq.), nunc non perspicitur. Filiorum autem Antenoris quinquaginta, quos ex Theano omnes susceptos fecit Bacchylides[2]), fuerunt quaedam in versibus deperditis partes[3]),

---

1) Apte Wilamowitzius (Gött. Gel. Anz. 1898 p. 145) confert locum Plutarchi (de musica c. 10), ubi de Xenodamo: *ἀμφισβητεῖται, εἰ παιάνων ποιητὴς γέγονεν. ἡρωϊκῶν γὰρ ὑποθέσεων πράγματα ἐχουσῶν ποιητὴν γεγονέναι φασὶν αὐτόν· διὸ καί τινας διθυράμβους καλεῖν αὐτοῦ τὰς ὑποθέσεις.* 2) Schol. *Ω* 496; v. ad 15 sqq. 3) V. 37 *ἄγον* verbi subiectum sunt.

